2

CONSILIVM PROPHYLACTICVM A LVE PESTIFERA GRASSANTE,

VINCENTII ALSARII CRVCII GENVEN.

PRO

ILL.MO ATQVE EXCELL.MO PRINCIPE, ac Barone Romano

DON FRANCISCO COLVMNA.

In quo, antè selectiora auxilia prophylactica omnibus praeseruandis accommodata, Pestis idea, differentia, & causa tam in genere, quàm in specie nunc vagantis presso sermone succinguntur.





ROMAE, Apud Gulielmum Facciottum. MDCXXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Bellicastr. Vicesgerens.



EGo Tiberius à Fonte Eugubinus Medicus Romanus vidi Consilium Prophylacticum à Lue pestifera grassante Perillustris & Excellentissimi D. Vincentij Alsarij à Cruce ex commissione Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Fr. Nicolai Riccardij, & nihil inueni quod repugnet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; nec quod sit contrà bonos mores.

Ego Tiberius à Fonte manu propria.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apostolici Magister, Ordinis Prædicatorum.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO
DON FRANCISCO COLVMNÆ
PRINCIPI, AC BARONI ROMANO PATRONO.

MATTHAEVS PARISIVS è Bernaudo eiusdem Medicus. S.P.D.

TVA, Tuorumquè salus, & incolumitas ab omni morbo (Nobilissime, ac Optime Princeps) maximè cordi meo esse debet, quandoquidem mea curæ tradita est, & ob non parua in me beneficia collata Tibi multùm deuinctus sum. Cùm itaquè anno iam elapso Excellentia Tua Illustrissima mihi mandauerit, vt alexipharmaca nonnulla ex efficacioribus annotarem, quorum ope Tu, vnà cum Tua Nobilissima Familia præseruari posses à contagiosa Lue, quæ per varia nec admodum distantia loca vagatur, de censu dico illorum antidotorum, quæ cor, cerebrum, & reliqua interna, ac principalia viscera ità corroborant, vt occursantibus morbificis causis resistere valeant, præsertim ijs, quæ antipathia quadam ipsam innati calidi arcem inuadunt, cuius-

modi proculdubio est, quæ hoc tempore alibi grassatur pestilentia; & cùm iam illa antidota breuibus litteris eo tempore mandauerim, sicuti selectiora Aromatario satis accurato Xenodochij sanctissimi Saluatoris de Vrbe (quod aliquot ab hinc annis præ manibus curandum habeo) parari, ac confici studuerim, quæ etiam Tuæ Excellentiæ iampridem promisi, nunc verò vnà simul cum præsenti Epistolica consultatione, & formularum adiectione, offero ac libentissimè largior: Posthac autem accidit aliquot ab hinc hebdomadis, dum exitiali vitæ periculo ex sæpiùs reiteratæ lypothymiæ symptomate correptus in lecto essem, vt Excellentia Tua iusserit sex accersiri Medicos doctissimos, qui propriam sententiam scriptis singillatim explicarent circà duo præcipuè Quæsita: Vnum ad locum spectans, vbi stante pestilentis contagij suspicione, securiùs degere possis, Romæ ne, an in Oppido Carboniano, cuius Oppidi Dominus es.

Alterum ad ea, quæ ad præseruationem à tali Lue necessaria, ac præsentanea iudicentur. Cùmque omnes petitioni Tuæ Excellentiæ satisfecerint, propriaquè consilia attulerint, quæ singula ego omnium minimus, sed familiaris Medicus Tuo iussu perlegi, & cuncta maximopere, ac æquè probauerim, quòd diligenter, doctè, & perspicuè ab omnibus exarata fuerint, sicut Excellentia Tua doctrina varia perornata ac optimarum artium studijs eruditissima comprobauit; vnde hilari fronte adiecit; Quid si typis Consilium D. Crucij tamquam ampliori forma descriptum multiplicique ornatum medica eruditione non in meam tantùm, sed in publicam simul vtilitatem excuderetur? cùm minimè vnum consilij exemplar pro cunctis sufficere valeat? subiungens, vt facilè vti ea possint ambo Filij mei, dico ego, Domini mei Excellentissimus Dux Bassanelli Iulius Cæsar, & Illustrissimus ac Reuerendissimus Iacobus

Cameræ Apostolicæ Clericus, qui exemplum integritatis, & paternæ probitatis eximiæ effigies est; Qua in re ego, qualiscunque sim, opinionem Tuam de Vincentio Alsario Crucio S. D. N. Vrbani Papæ VIII. Cubiculario ab Honore, & celeberrimo medicinæ practicæ professore in Romana vocata Sapientia, non solùm in hoc Consilio, sed etiam in Prouidentia Methodica ad imminentem pestem præcauendam iamdudum edita collaudaui, sicut illicò admiratus ego de iudicio Tuo commendaui simul miram pietatem ergà omnes, quos vt iuues nullum subterfugis incommodum, nullisque parcis impensis, ita quòd expressè imperasti, vt quàm primùm, petita à Superioribus licentia, typis imprimi illius Consilium, ac meum simul curaretur. En itaquè impressum Tuo iussu Consilium cùm epistolari mea breui consultatione prophylactica, & præsidijs paratis; sic Te optimum Principem Dominus Misericors Deus noster impollutum ab omni labe conseruet, incolumemque tuam nobilissimam Familiam custodiat & protegat.

Quoad primum quæsitum de electione, scilicet, Aeris, vtrum periculo magis vacuus sit à tali contagione aer Romanus; an Carbonianensis, & horum locorum quæ tutior habitatio, cum vnusquisque, Dei fauore, immunis à peste sit. Equidem si de aere orationem velim habere longiorem, epistolium hoc breuitatis limites transcenderet, vt taceam id nulli hominum magis patere quàm Tibi, qui & splendidè Orbem, & gloriosè peragrando pro Christianæ Religionis beneficio tantam aeris varietatem expertus es: Sed antequam hoc quæsitum persoluam.

Dicendum primùm puto, quòd cùm huius Luis pestiferæ quæ diuersa Italiæ loca inuasit, & adhùc infestat principalis causa sit merum Contagium; hoc profectò delatum est omnium consensu à Militibus Alemanis, cæterisque, & communicatum Mediolano, & locis Galliæ Cisalpinæ, Præsentis pestiferi morbi causa principalis est merũ contagium.

Par-

Parmæ, Bononiæ, Venetijs, in Hetruria, alijsquè conuicinis, qui milites & si actuali non detinebantur peste, tamen Contagionis abdita habebant semina, quæ vel per fomitem laneis, alijsquè rebus imbuta veneficum hoc virus suscitabant vel per cōtactum, vel halitu suo pestifero aerem illum intermediatum particularem circumfusum, cutis meatus ingredientia, vel potissimùm per inspirationem ad cordis intima subeuntia tamquam ad proprium subiectum naturali antipathia ipsum vitæ fontem exitialiter inficiebant; atquè ita dè vno in alium transiens infectio & per fomitem, & per contactum, & ad distans debito tamen loci interuallo, infecto aere non quidem vniuersali, sed eo tantùm, qui intermediat inter infectum, & inficiendum (cum propria huius pestis causa non sit aer in communi, neque qualitatibus neque substātia alteratus) fatum supremum cuiquè illum inspiranti impellit, vti si esset fera quædam venenata ita à Galeno nuncupata. Sua enim expiratione aerem inficit & tamquam præsentaneum aliquod venenum homines malo quodam modo necat, qui cùm respirare non possint sine attractione illius venenati aeris, Contagium, & Occasum miseri euadere nequeunt.

Gal. de Theriaca ad Pisonem.

Proculdubio igitur pestis hæc Contagium habet, quia ab vno alteri communicatur infectio. Quid verò sit, morbus ne, vel symptoma, vel causa morbi; consilij & petitionis ratio non postulat, vt hoc longiori sermone explicetur: Dicam solùm esse qualitatem quandam materialem siue substantialem, siue substantiam prauæ qualitatis tam occultæ, quàm manifestæ cum vi producendi affectionem consimilem aut per contactum, aut per fomitem, aut ad distans & hoc est illud, quod in actu primo siue Contagium in potentia dicitur Seminarium pestis, quod prout est crassum vel tenue lentorem habens cum intrinseca adhærentia ita vario modo permanet vel dissipatur, & quod admiratio-

Quid est cōtagium.

Quot modis inferatur cōtagium.

Seminarium pestis est cōtagium in potentia.

nem

nem parit etiam in aere ipso diutiùs seruatur, quatenùs crassus est, etiam si tardiùs concipiatur & hoc annuit Alexander Benedictus: Pestilentia plurimùm vltima æstate contrahitur tali tenuitate ita disponente, quæ tamen citiùs remittit violentiam. E diuerso crassius Cælum initio resistit, tardiùsque inficitur, infectum verò diutiùs vitium retinet, cùm tarditatem supplicij grauitate compenset, ita quòd dicendum vbi maior est resistentia passi ad concipiẽdam aliquam formam, ibi maior requiritur agentis actiuitas, ibique maior reperietur forma radicatio; vincuntur namque semper meliora à peioribus.

Alex. Bened. cap. 2. de pestilenti febre.

Crassius cælũ magis resistit, sed magis inficitur.

Altera causa, ex qua processit ista Lues fuit publica fames ob annonæ caritatem, cogebantur namque incolæ earum regionum pessima assumere alimenta, ex quibus cacochymia, & venefici intùs geniti sunt succi, non simpliciter vt virulentarum bestiarum ictu fiunt, quales etiam Galenus admittit in corpore generari sine externo occursu, sed venenati pestilentes & contagiosi.

Succi venefici ex cacochymia fiũt.

Gal. lib. 6. de loc aff. c. 5.

Explicitis ergò summatim huius Luis pestiferæ causis duabus præcipuis, Contagio, scilicet ex halitu corruptiuo & alimenti prauitate, supposita inter ambas æquali malitia.

Quæritur num maiorem iacturam inducat aer putris, & pestilens; An cibus putris pestiferus? Ratio difficultatis est ex Aristotele annuente aerem neque putrescere, neque morbidum esse, quo loco etiam habet quòd mutatio aquarum morbifera est, aeris autem non sic. Sed dicendum primò si aer pro elemento simplici prout est, iuxtà ignis elementum accipiatur, non corrumpitur, si verò illi aliquid disforme, & heterogeneũ misceatur, qualem in nostra hac regione vltima inspiramus, tunc ratione mistionis capax est putredinis, & hoc secundo modo acceptus si ponatur siue qualitate siue substãtia putridus. Quæritur nũ magis vel minùs lædat quàm cibus? Respondetur maiora damna induci

Aer putris an cibo putri morbosior.

Arist. 1. sect. problem.

Aer vt elemẽtum est simplex non corrumpitur, sed vt mistum.

duci

duci à cibo quàm ab aere, quia aer qualitate tantùm, cibus verò qualitate, quantitate, & alijs nos afficit, ac ſtabiliorem morbis materiam præſtat, vnde validiùs ſanitatem violare, & affectus contumaciores inuehere cibus creditur quàm aer, vel dicendum plus poſſe aerem celeritate agendi & tenuitate: alimentum verò plus valere denſitate & formæ multitudine vel dicendum partes ſpiritales magis ab aere lædi, naturales verò magis à cibo. Hinc habeas, quòd ab aere citior mors eſt, propter offenſam ſpiritalium; à cibo tardior interitus ob partium naturalium detrimentum, & cùm in hac graſſante peſtilentia non ſtatim & ſubitò natura diſſoluatur, ſed multi etiam plures dies intercedant à primo Luis inſultu, vt alij quartum, alij ſeptimum tranſcendant diem &c. fatendum certiùs à cacochymia, & putredine ob prauitatem cibi & alimentorũ quàm ab aere homines eius regionis incolas peſte affici.

Partes naturales magis à cibo; ſpiritales verò magis ab aere offenduntur.

Cacochymia ex prauitate victus, certior cauſa huius peſtis quàm aer,

Textus item Ariſtotelis ſupracitatus non negat mutationem aeris morboſam eſſe, loquitur enim de mutatione aeris ad paruam diſtantiam, cùm ita aerem vniformem inſpiramus, variatur namquè aer ad variationem climatum, ſed in breui ſpatio, & in eodem climate & aere multæ aquarum differentiæ ſunt, vel dicendum Ariſtotelem loqui de mutato aere ab itinerantibus, qui non detinentur in loco mutato. Hincquè intelligere poſſumus; Cur ſi quis æſtate feruida iter petat ad locum diuerſi climatis longinquum, vt v.g. Neapoli Romam, vel è contrà, minùs periculum ſubeat, vt in febrem incidat ſi naui ducatur, quàm ſi equitet per terram, potiſſimè quia per terram eſt diuerſitas aquarum, inſuper eſt cum maiori motu, qui eſt cauſa caloris, calor item à Sole contractus, nec non putres halitus è paludibus; Nauigãtes verò non ita agitantur, & vniformè percurritur Cælum, non mutatio aquarum ita crebra, non puluis, non ſolis feruor, nõ deniquè lecti mutatio adeſt.

Cur minus periculoſum iter per mare quàm per terram Sirio ardente v. g. Neapoli Romam.

Per-

Perpensis ergò supradictis, vt petitioni de aere eligendo satisfaciã, breuiter dico, quòd facta collatione salubritatis inter aerem Romanum & Carbonianẽsem, certum est Carbonianensem esse purum, sincerum, apertum, tenuem, moderatè frigidum, & siccum, varijs ventis expositum, distantem à stagnis, vbi incolæ diutiùs viuunt, in summa salubrem, imò valetudinarij illùc accedentes facilè conualescunt, vt sanè experiuntur RR. Sacerdotes Oratorij Romani villam ibi incolentes.

Aer Carbonianensis optimus.

Aer verò Romanus putredini valdè obnoxius, temperaturæ calidæ, & humidæ, quæ omnium deterrima est, inæqualis, repentinas recipiens mutationes, Austrinus paratus ad pestilentiam, vt latè ex Alexandro Petronio & Cardano alij Doctissimi Collegæ exposuerunt Excellentiæ Tuæ in eorum consultationibus, vndè si cætera à multis decantata opportuna & necessaria parata fuerint, præcipuè aduenarum exclusio, tutiorem vitam à tali contagio in Carboniano Oppido, quàm Romæ ducere potes.

AerRomanus putredinosus.

Sed obijci potest ex annotatis suprà: si aer Romanus est crassior Carbonianensi, & ex Alexandro Benedicto, quod crassum magis resistit, & tardiùs inficitur, vt etiam opinatur Auicenna talem aerem exquiri debere in peste, cur ergò Cœlum Carbonianense tutius est Romano?

Respondetur, quòd quatenus densus est aer magis quidem resisteret, sed quia simul calidus est, magis obnoxiùs est putredini, mens verò Alexandri Benedicti iuxtà Auicennæ cõsilium est de electione aeris densi frigidi, qui magis resistit, quando aeris vitium mali causam dedit; Sed cõtraria opinio communior est, vt aer sit clarus, tenuis, non densus, cuius certè maxima habenda est ratio, sicuti enim morborum author cẽsetur ita vitæ, vt Hippocrates triplex animantium nutrimentum numerat, Cibum, Potum, & Spiritum, videlicet aerem, cuius tanta vis est, vt bono solo

Hipp. lib. de flat.

Sine cibo & potu, sed nō sine aere vita duci potest per aliquod temporis spatium.

aere inspirato sine cibo & potu posse quempiam plures dies viuere, ita si deleterius hauriatur, & pestilens absque vlla ferè partium in suis qualitatibus, temperiequè immutatione concidere viuentem repẽtino interitu videamus, spiritibus vtiquè cordis improuisò dissolutis.

Statuto ergò huius Luis pestiferæ contagiosæ principio, quod sit seminarium putredinis delatum ab Alemanis, ac peregrinis alijs gentibus, atque supradictis Vrbibus & locis contagione illatum, & quòd non satis fuisset illud, nisi corpora ad concipiendum seminarium disposita fuissent, cùm nulla causarum sine patientis aptitudine agere possit, hæc verò contracta sit ab humoribus non vulgari, sed profunda putredine corruptis, corruptionis autem siue putredinis origo fuerit victus prauitas ob annonæ penuriam, Tota præseruationis ratio colligit, vt Diuino ante omnia Numine implorato, & semota omni contagionis suspitione, quæ aliquo, vel omnibus illis dictis tribus modis afficit, ac bona viuendi norma constituta in rebus sex non naturalibus in cibo, videlicet, potu, somno, vigilia, motu, quiete, & animi accidentibus, quorum omnium leges præstare, vtiquè in volumen excresceret epistola, maximè quia apud Excellentiam Tuam illarum rerum extat regula in libello D.Crucij, qui ad instar omnium est, possit his seruatis immunem se tueri. Verùm, vt citiùs hoc assequaris, obseruandum primò Galeni præceptum; vbi his verbis docet, quo pacto pestem quis præcauere possit dicens. Vnus, & primus in omnibus communis est scopus, vt corpus quàm maximè vacet excrementis, & benè transpiret, secundus ab eo, vt dominanti causæ, quoad fieri potest repugnetur.

Gal. 1.de diff. febr.cap. 4.

Itaquè primo scopo purgãdi sunt humores, qui sunt apti ad concipiendum contagium, ne detur materia veneno illi pestifero, cùm summa curationis, vt ait Auicenna, sit exiccatio, & hoc cum phlebotomia, & solutione ventris, quod

accom-

accommodatur etiam præseruationi, iisdem enim defenditur bona valetudo, quibus restituitur, vt Hippocrates ait: quæ subsequentia saniant, antegressa prohibent, & hoc præceptum erit in ordine ad secundum scopum in administratione, scilicet, antidotorum valentium per se primo attenuare, & infringere vim causæ pestilentiæ, cùm sanguinis missio, ac purgatio, normaquè viuendi curent per alium.

Laudatur ergò purgatio cum blandis medicamentis, potissimè quia corpus Excellentiæ Tuæ humidæ temperaturæ est, & fluxioni à capite diù obnoxium, quod exiccari quouis modo requirit, Galeno ita docente. Idem ibidé.

Reliqua summatim habeas Excellentissime Princeps. Hæc verò sunt, quæ iam anno elapso scripsi & obtuli, nunc res ipsasmet paratas, ac exceptas ex Aromataria Xenodochij sanctissimi Saluatoris de Vrbe Excellentiæ Tuæ cum proprijs formulis exhibeo.

Primo Electuarium Cardiacum prætiosum præseruatiuum, & curatiuum. Rec. Theriacæ vnc.ij. seminis iuniperi, radicum tormentillæ, cardui benedicti an. vnc.j.ſ. boli armeni or. vn.ſ. Pulueris electuarij de gemmis, diamargaritonis frigidi, rasuræ cornu Cerui, corall. rub. an. drac.j. Cum syrupo de corticibus citri, & de acido citri fiat electuarium capiat drac.i. cum vino odorifero, vel cum aqua rutæ capraræ. Isto electuario vti potest æstate cum aqua sonci vel rosacea, hieme verò cum vino, valet etiam in febribus ordinariæ putredinis, si sumatur cum aliquibus liquoribus refrigerantibus, nec ori ingratum est. Electuarium Cardiacum.

Alterum habeas electuarium Angelicum dictum, quod efficax est aduersus omne venenum cuiuscumque qualitatis, compositio hæc est. Rec. Theriacæ opt. vnc. iij. infunde in lib. xij. aquæ vitæ optimæ per horas xxiiij. cum frequenti agitatione, postea percoletur, cui colaturæ adde, Angelicæ, tormentillæ, cardui benedicti, iunci odorati, mo- Electuarium Angelicum.

mordicæ, gentianæ, bistortæ, boli armeni, dictami cretici, vincetossici, zedoariæ, myrrhæ, pimpinellæ, verbenæ, carlinæ, scordij an. unc. ß. Fiat omniũ puluis subtilis, & insperge liquori iam antea percolato, & cũ syrupo de succo limonũ fiat electuarium contrà pestem, dosis ad iudicium Medici.

Do Excellentiæ Tuæ aquã scordij compositam Petri Salij probatissimam contrà omnem putredinem, & Romæ est in frequenti usu. Rec. succi acetosæ, rutæ capraræ, scordij, citri an. lib. j. Theriacæ unc. j. misce stillentur secundum artem, capiat unc. j. vel plùs, vel minus.

Aqua Scordij.

Hãc alteram efficacissimam aquam Theriacalem compositam paratam impartior. Rec. radicum gentianæ, tormentillæ, dictami, ciperi, enulæ campanæ an. unc. j. foliorum tassi barbassi, cardui benedicti, morsus diaboli, pimpinellæ, scabiosæ, oxalidis agrestis an. m. ß. summitatum rutæ p. j. baccarum mirti, rosarum rub. florum buglossi, boraginis, hiperici an. unc. j. Pistentur omnia, & macerentur in vini maluatici, aquæ rosar. oxalidis an. lib. j. Deinde reponantur in vase vitreo, & postea adde mitridati, theriacæ an. unc. iij. Fiat destillatio in balneo Mar. cui adde, croci unc. j. terræ sig. boli arm. or. sandal. citrini, rasuræ eboris, limaturæ cornu Cerui an. unc. ß. misce & exponantur per octo dies in loco calido, aut Soli.

Aqua Theriacalis.

Vnguentum Cordiale paratum huius formæ, nisi fuerit febris urens, sed usurpatur quãdo magis urget mala qualitas, quàm febrilis intemperies. Est etiam præseruatiuum hoc. Rec. oleorum de spica unc. ß. rosarum, corticum citri an. unc. ij. pulueris cinnamomi, iunci odorati, dictami, ciperi, assæ odoratæ an. drac. iij. musci gr. vj. theriacæ drac. ß. ceræ q. s. fiat unguentum.

Vnguentum Cordiale.

En pilulæ Ruffi celebratissimæ ad pestem, quarũ usus ad põdus unius drac. vel drac. ß. in singulis hebdomadis erit. Assumuntur & in gratiam alterationis contrà putredinem,

nem, & euacuationis. Conficiuntur ex croco, qui recreat vires, ex myrrha, quæ inhibet putredinem, Ex aloe, quæ immersos humores è ventriculo educit, quibus corpora mortuorum, ne putrescant balsamãtur. Addita sunt ammoniacum & mastiches, & cum syrupo de succo limonum effecta est massa. Pilulæ Ruffi.

Habuit iam Excellentia Sua pomum hoc odoratum pro vsu, tempore hyemali, huius compositionis. Rec. ladani, styracis calamitæ, benzoini, ligni aloes, rosf. rubear. corticum citri, ciperi an. vnc. j. caryophyll. drac. ʃ. camphuræ, nardi, nucis muscatæ an. gr. vij. Omnia in puluerem tenuem reducantur, & cum aqua florum citrium, in qua tragacanthum, & gummi Arabica maduerint, fiat pomum, cui adde mosch. ambræ an. gr. iij. misc. fiat pomum. Pomum odoriferum hyemale.

Æstiuo hoc tempore hæc pila manugestanda parari potest. Rec. florum viol. nenufaris, rosarum an. drac. ij. sandal. omn. an. drac. j. seminum citri, corticum citri sicc. an. drac. ʃ. camphoræ gr. iiij. Pistentur secundum artem & fiat puluis subtilis, misce omnia addendo musci & ambræ gr. ij. & cum aqua florum pomorum aurantiorum, in qua tragacãthum & gummi Arabica maduerint fiat pomum, vel sine aquis & gummi fiat nodulus, siue pila in tela sericea chermesina manugestanda. Pomum odoriferum æstiuum.

Nec defuit Excellentiæ Tuæ pila ex ligno iunipero, cui inclusa erat spongia madefacta in aqua florum aurantiorum, aqua rosa, aceto rosato, in quibus per aliquot dies infusæ erant radices iunci odorati, musci, zibetti an. gr. ij. Tempore hyemali possunt addi ireis, zedoaria, spica, garyophylli, stirax; Infunduntur in dictis aquis & aceto, addito vino odorifero iuxtà ignem per noctem & in dicto liquore infundatur spongia, vel domi teneatur in catino, in quo sæpiùs madefiant manus, nares, & tempora. Odoriferum optimum.

Exhibeo simul Iulep ex scorzoneria ad libitũ assumendum

Iulep ex ſcorzoneria.

dum gratiſſimum palato. Rec. radicum ſcorzoneriæ lib.j. tormentillæ, zedoariæ, iunci odorati an. unc.ij. foliorum ſcordij, rutæ capraræ an.m.j. Decoquantur in lib.xij.aceti albi ad conſumptionem quartæ partis, & remotæ ab igne colentur fortiter. Iterum affundendo nouas radices ſupradictas & folia, ſtillentur in balneo Mariæ. Rec. deinde huius aceti ſtillati, & cum zaccaro clarificato q.ſ. fiat Iulep, aromatizetur cum aqua florum aurantiorum ſecundum artem, capiatquè ad libitum.

Cætera, quæ annotaui ſunt hæc. Fugiat meridionalem & turbidum aerem, & tamquam antidotum contrà peſtem, & putredinem, tempore hyemis inſpiret halitũ ignis ex lignis odoriferis iuniperi, roſmarini, &c. quod cõſilium fuit Hippocratis cũ ex Aethiopiæ locis peſtis Athenas inueheretur, quæ Ciuitas à Lue vindicata eſt ignibus incenſis.

Tempore æſtiuo priuatim domi corrigendus & refrigerandus aer perfuſus aceto, aqua frigida, ſtirpibus frigidioribus, folijs citri, aurantiorum, roſis, & ſimilibus.

Haurire aerẽ Aquilonium qui vẽtorũ ſaluberrimus eſt.

Frequens exercitatio, & mediocris, cælo puro, & in loco ſublimi poſito ab Aquilone.

Quantum valeat imaginatio ad morbos & quomodo.

Ablegandus animus à peſtis timore, imaginatio enim morbi, quamuis ſit facultas paſſiua, inuehere tamen morbos ſolet, quoniam ad actum imaginationis ſequitur metus, & mœſtitia, vel aliud animi accidens, & ex his affectibus motus humorum, & ſpirituum. Ex motu verò calidi innati ruina, & ex hac morbi fiũt, quamuis, vt plurimum imaginationem morbi & illius timorem ſemina eiuſdem recondita commouent, quæ ſemina ſi fuerint in humoribus ab illis cõſimiles ſpecies excitantur; Hilaris ergò vita ſine metu, & curis gerenda. Somnus, & vigilia pro conſuetudine. Excrementa alui quotidiè repurganda. Victus mediocris, alimento ſiccante & refrigerante vſurpato, vtendum om-

omphacio, ideſt, agreſta, acetoſa, vua ſpina, ſucco granatorum, limonum, citriorum, aurantiorum, aceto, capparibus, & alijs acidulis. Vinum ſit album dilutum pro conſuetudine niue infrigidatum. Reprobatur ſacculus ex arſenico nè rarefactis poris cutis, vapor cor infeſtet. Acceptum eſt remedium, cuius Galenus etiam meminit. Nuces duas, ficus totidem, rutæ fol. 20. ſalis granum terũtur omnia & manè ieiunus deuoret. Hoc Pompeus, victo mytridate, reperit in sãctuario, nullo veneno lædi, qui hac antidoto uteretur. Theriaca, & mytridatium nullis cedunt remedijs & ſemel in hebdomada uti poteſt vel bis in menſe in bolo, vel cum vino diſſolutis, præcipuè tẽpore hyemis, æſtate verò rariùs cũ ſucco citri, vel aqua roſata, vel acetoſa, eſt enim tamquam ignis purificans, & qui ſani ipſam aſſumunt, vt Galenus monet peſtilentia prorsùs non capiuntur. Ex ſimplicibus laudãtur multa, videlicet Terra Armena, qua veteres curabant febres peſtilentes, vt Galenus; lapis Bezoar, Contryerua, Cornu Cerui vſti, Vnicornu Rinocerõtis, Smaragdus, & omnes lapides pretioſi, gemmæ, Angelica odorata manſa, ſiue puluis eius aſſumptus cum vino. Iuniperi ſemina, Gentiana, Tormẽtilla, Zedoaria mirifica eſt & valẽs. Carlina, Dictamus & quamplurima ſimilia. Sed ſcordion potiſſimum commendatur à Galeno & receptum ab omnibus. Aqua ſtillatitia totius mali citri, Aceti ſtillati coclearis menſura. Confectiones Hyacintina, & Alchermes. Extrinſecùs oleum Matthioli. Oleum Sereniſſimi Ducis Hetruriæ contrà venenum. Liquor Balſami.

Gal. lib. 2. de Alim. facul.

Gal. lib. de Ther. ad Piſ.

Gal. lib. de Simpl. Med. facul.

Gal lib. 1. de Antid. c. 12.

Vltimò ſi aeris vitio fiat peſtis, celebratiſſima eſt pilula illa aduerbialis ex tribus, videlicet. Citò. Tardè. Longè. Citò diſcedere à contagione aeris infecti; Longè abire; Tardè reuerti. Hæc ſunt, quæ Citò annotare potui: Longè cum ſim ab otio. Tardè nõ ab affectu; quo perpetuo te Optimum Principem Felicem eſſe, tuoſquè incredibiliter exopto.

A D

AD LECTOREM
de præſenti Opuſculo.

VT valeas tutus diræ contagia Peſtis
Effugere, hoc medicũ perlege, Lector, opus.
Dum fera bacchatur latè inclementia morbi
Corripiens tabo corpora mortifero,
Pœoniam doctus vincit VINCENTIVS artem,
Et rabidam miſero pellit ab Orbe Luem:
Seruatam ob patriam ne iactet fama triumphos;
Plus eſt humanum reſtituiſſe genus.

N. F. R.

ERRATA OPERARVM INCVRIA
itá corrigenda.

Num. 2. lege θεῖον. Ibid. lege λόγου. Num. 3. lege λοιμικῶ. Num. 6. in margine lege Galen. Num. 10. lege itá loquitur. Num. 15. lege Babylonis. Num. 25. lege attingentia. Num. 31. lege & abſentis) Num. 35. poſt Lauinium lege (quod ſimiliter ex Herodiano colligitur) Ibid. lege Burgheſiæ. Num. 36. lege cupreſſis. Num. 37. poſt incenſis lege ebullando. Num. 54. lege cuicunque. Num. 61. lege ventriculum Num. 65. lege potu, peſtilenti præſertim. Num. 79. vaporum, lege ipſorum.

Auctoris autem, quæ multiplicia erunt, doctus unà & benignus Lector emendet, ac excuſet.



CON-

CONSILIVM PROPHYLACTICVM A LVE PESTIFERA GRASSANTE,

VINCENTII ALSARII CRVCII,

PRO

ILL.MO ATQVE EXCELL.MO PRINCIPE, ac Barone Romano

DON FRANCISCO COLVMNA.

Quod item alijs adaptari, paucis mutatis, facillimè potest.





AGENDVM nunc mihi Tecum est (Nobilissime Princeps) de Te, Tuisq. præseruandis à dira, & pestifera Lue, quæ non solùm in longinqua Italiæ loca multa spectatissima, præsertim Galliæ Togatæ, cuius caput Mediolanum est, veluti Parmam, Placentiam, Mantuam, Mutinam, & huic finitimam Bononiam, Disciplinarum decantatissimum Emporium, totumq. ferè ab hac ipsa regione Venetum dominium, ac eius inclytam Metropolim, sed etiam in proximiores Florentinorum, Pisanorum, Lucensium, & reliquæ Hetruriæ Pro-

Pestis quasnã præcipuè Italiæ Prouincias, Vrbesq. funestè pesfundet.

uinciæ splendidissimæ ditionis Vrbes, ac ijs vicina & subdita Oppida calamitosè debacchatur; si fortè contagiosum suum & funestum virus latius fundere, in Romanumq. clima (à quo Deus, sine cuius nutu, asserente

Isaiæ dictum

Isaia, malum nullum efficitur, misericors magis quàm zelotes, nouæq. huius suæ Sanctæ Sion protector, & custos tam perniciosam labem auertat) tela vibrare, aut sagittas cominus iaculari velle videretur; Hucusque etenim, cælesti afflante numine, & eximia interueniente

Vrbani Papæ VIII. eximia vigilantia. Romæ encomium. Virg. 6. Aen. Galen. de Artic. comm. 1. tex. 23. Athenæus in Dipnosoph. & S. Leo PP. ser. 1. in natali Apost. Petri & Pauli.

cura, insomniq. diligentia Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ VIII. non modò Romana Vrbs (caput semper orbis terrarum, καὶ ἐπιτομὴ τῆς οἰκυμένης, sed antiquitùs iuxtà id quod prodiderunt Maro, Galenus, Athenæus, & alij Ethnici scriptores, hodie verò, & à mille retrò sæculis multò magis & excelsiùs, quantum scilicet cælestia antistant terrenis, Religione diuina, & per sacram B. Petri Sedem, vt S. Leo Papa tradidit.) sicut Tuscorum prope adiacentium, Latinorum, ac Sabinorum tam in ampla planitie, quàm in collibus & montibus sita regio, verùm quoque Vmbria, Picenum, Vrbinatum Ducatus (qui nuperrimè ad Catholicæ Ecclesiæ fastigium, vnde centum & pluribus ab hinc annis fuerat abscissus, denuò accessit, vt æternùm illi coalescat, & pareat) ac demùm Aemilia tota, (si quæ aliquot Romagnolæ vocatæ loca excipiantur) almaq. Ferrariensium Ciuitas impolluta prorsus, &

Luis pestiferæ Hyparxis.

integra sanitate fruuntur. Cuius quidem morbi teterrimi natura maior est, quàm cogitatione comprehendi, aut explicari oratione possit, & cuius causæ de peruulgatis non sunt, imò de illis, quæ cùm sensibus non pateant, suprà hominis captum meritò esse dicuntur, καὶ τὶ θεῖον, *& quid diuinum* præseferunt apud Hippocratem, vel

Hipp. 1. & 3. Prognost. Thucyd. de Bello Pelopon.

τὶ κρεῖσσον λόγου, *quid potentius ratione*, vt loquitur Thucydides, eo quòd (si iuxtà medicam Galeno dictam philo-

sophiam

ſophiam tractanda res eſt) ſub alta putredine, venenataq́. qualitate indicibili, tum aeris, tum humorum penitiſſimè abditus deliteſcat, plures homines triplici genere Contagionis, tactu, fomite, & ad diſtans infauſtè inuolans, qui propterea deleterij inſtar pharmaci, aut venenatæ feræ in morem corpora noſtra depaſcendo corrũpens, morbus totius ſubſtantiæ, aut formæ vel cum Galeno ipſo poteſt appellari, cui tales affectus, Græcis κατὰ τῆς ὅλας οὐσίας vocatos, per quàm cognitos fuiſſe, qui neget erit nemo in eius perlegendis libris verſatus, & quos Fernelius inter neotericos elegantiſſimus, eruditiſſimusq́. ad cæcam vim quandam imperceptibilem, prorſusq́. mirabilem refert, quam idem teſtatur eſſe illam νοσερὴν ἀπόκρισιν, hoc eſt, *morbidam excretionem*, qua totum aerem conſperſum ſcribit Hippocrates, matrem funeſtiſſimorum morborum, Aphrodiſæus λοιμὼ ἀπόρροιαν appellat, ideſt, *effluuium peſtilens*, Galenus expirationem interpretatur proprietate totius ſubſtantiæ infenſam; quosq́. nihilominus ſunt qui mordicùs tueantur per tria ſimul, & non plura genera morborum, à mille retrò ſæculis recepta, etiam diſpergi, nimirum per ſimilares, organicos, & vtriſque communes, vt proinde nec præſentis, nec cæterorum formalium morborum gratia nouum quartum genus contrà Galeni placita indagandum, amplificandumq́. foret, parcant cùm Fallopij, Argenterij, & aliorum, tum eiuſdemmet Fernelij manes, cum quibus impræſentiarum longiùs colluctari nec animus ſuadet, nec locus permittit. Quòd ſi quiſpiam contendat peſtilentem morbum, de quo agitur, nec in genere inſtrumentariorum, nec in ſolutione continui eſſe poſſe, neſcio quibuſdam rationibus de quibus alibi, ſatis pro tempore eſt, eum cum perpetuò more veneni cor offendat, temperamentum & harmoniam ipſius diſ-

Morbus totius ſubſtantiæ, aut formæ cur appellatur.

Fernel de Abdit. rer. cauſ. lib. 2. cap. 10. & ſubſeq.

Hipp. 2. de Nat. hum. 3.

Aphrodiſ. in Probl.

Gal. in com. ad locum cit. de Nat. hum.

Verum diſtinctus à tribus alijs generibus.

Gal. cùm alibi, tum de Diff. morb. cap 4.

Fallop. in Tractat. de Mor. Gall.

Argenter. l. 2. de Cauſ mor. & alibi.

ſoluendo, & hæc ad eiuſdem cordis partem ſimilarem pertineat, de morborum ſimilarium numero neutiquam fore diſpungendum, & conſequenter ad genus malæ temperiei reduci debere, quippe quia temperies cordis à vi peſtifera tanquam venefica omnino deſtruitur. Vnde ingenioſiſſimi illi & grauiſſimi Medici iniuria Galenum arguunt, quaſi omnia morborum genera non exactè propoſuerit. Quinimò licet celeberrimis Viris Io. Fernelio, alijsq. nominatis donemus morbum, de quo ſermo, certo ſub genere, & à tribus diſtincto contineri, numquid tamen plus Galeno docent? Qui profectò in dolore à punctu, morſuve animalis venenati, cuius virus (præſertim ſi ſit canis rabidi) à peſtifera Lue vix differt, vt ex eodem Galeno conſtat locis infrà adducendis, duplicem eſſe docens talis doloris ſedandi rationem, vel virus ipſum vacuando, vel quod dolorem excitat alterando, ita ſubiungit. *Sanè vacues id eorum medicaminum ope, quæ vehementer attrahunt, alteres ÿs, quæ ſunt contraria, idq. vel qualitatibus, vel tota ſubſtantia. Monſtratum namque eſt in libris de Medicamentis quædam eſſe totis ſubſtantÿs inter ſe contraria, quædam ſolis qualitatibus. Sed & illud indicatum æque eſt. Quòd eorum, quæ contraria qualitate ſunt, methodus quæpiam ſit, eorum quæ tota ſubſtantia ſunt aduerſa, methodus non ſit, ſed omnia ſint per experientiam inuenta.* Quare idem librum compoſuit, qui deſideratur, de remedijs à tota ſubſtantia, ſeu de occultis rerum proprietatibus, quem alicubi pollicetur, & quem citat Alex. Trallianus. Affert etiam Fernelius Galeni locos, quibus totius ſubſtantiæ morbum Gal. ipſe teſtatur. Quam rem vt firmiùs adhuc credam facit, quòd Rhaſes ſcribit, ſe librum Galeni vidiſſe de Venenis, contra quæ propterea veriſimile ſit alterum compoſuiſſe

Gal. lib. 13. Meth. c. 6.

Idem lib. 6. & 11. Simplic. cuius item meminit 6. in 6. Epid. t. 5. Trall. lib. 9. cap. 4. Fernel. loc. citat. Rhaſ. lib. 20. ſui Cont. c. 2.

opus,

opus, in quo de Alexipharmacis, aut remedijs à tota substantia, quæ illis opponerentur, exactissimè more suo perageret. Cuius quidem Fernelij opinio de primaria mali huius ab influxu cælorum maligno scaturigine inexplicabili si pro vera vtcumque admittatur, inanis vtique sit oportet (præter nescio quæ pauca antidota obseruatione, & ab analogismo inuenta) omnis medentium industria, & cura ad id mali genus præcauendum, extirpandumq́. sicut ad Epilepsiam, quam perpetuò à venenata aura oriri contendit, & quid diuini in se habere, in qua Hippocrates nil agnoscit diuinius, quàm in alijs cunctis morbis, Hydrophobiam, Elephantiasim, Luemq́. Veneream. quorum tamen vim, sæuaq́. symptomata varijs præsidijs non solùm à tota forma, sed etiam manifesta virtute agentibus clarè satis eleuant, sæpeq́. auerruncant, vti pestilentium morborum, quales hodie vagantur, mirificam, & occultam labem à sordida nimis, & nimis profunda simul atque maligna putredine enatam (Prophasi tamen primò data forinsecus à contagiosa illuuie per fomitem, vt dicetur) in non paucis debellant; putrefactis humoribus, & in quorum substantia μάλιστα præualet, quantocius eductis, putrescere incipientibus correctis, & ab vlteriori putrilagine præseruatis, quemadmodum vini acescentis, sed nondum in acetum transmutati, quod vel doliorum mutatione, vel quibusdam rebus frigidis, & siccis iniectis, corruptelæ semina coercentibus, ab insita natura non degenerat, congruo satis exemplo nos edocet Galenus; latentem quoque & venenatam qualitatem, priùs quàm cordis arcem furtim destruat, ac solo æquet, alexipharmacis alterando, aut foras expellendo, necnon vitale robur aduersus venenum cardiacis muniendo. Nec obijciant tales morbos pestilentes cum Galeno sanari Bolo, vel Theriaca, quasi

Auctori quare non videatur libenter admittenda Fernelij opinio de Pestis causa imperscrutabili.

Hipp. in lib. de Sacr. mor.

Medicorum intentiones in morborũ tam pestilentium, quàm simpliciter putridorum curatione.

Gal. 2. Aphorism. 17.

Obiectionis dilutio.

quasi antidotis à tota forma agentibus, & arcana vi arcanos morbos expugnantibus, cum argumentum à sanatione depromptum ex Hippocrate tecmerion sit, quoniam dixerim medicamenta illa non à proprietate tantùm, sed manifestis quoque virtutibus vim suam promere, ac exercere. Sic etiam idem Galenus tam in præcautione, quàm in curatione hominum à pestilenti morbo corpora ita præparabat, vt humida exiccaret, sicca in eodem statu conseruaret, excrementa purgaret, obstructiones aperiret, & vniuersè vnicam illam, ac excellentem summamve putredinem oppugnaret, in qua humidum reperitur non modò non imperfectè putrefactum, cuiusmodi est in putridis febribus mitioribus, quæ idcirco à natura vel sola, vel arte adiuta cum facilitate vincuntur, eodem castigato, & per vlteriorem pepasmum nutritioni idoneo reddito, sed integrè, ac perfectè corruptũ, vt ad benignum redigi amplius vix possit. Huic doctrinæ è Galenico fonte corriuatæ clarè consentit Auicenna, quem certè hoc in loco oscitanter legit Mercurialis; nam de Peste loquens ait: *Et communicat multitudini hominum, qui iterum habent in seipsis proprietatem præparationis. Agens enim solum cùm peruenit, & patienti non est præparatio, non accidunt actio & passio.* Vbi declarans de quanam loquatur proprietate, mox subiungit: *Et præparatio corporum ad illud, in quo sumus de præparatione, est, vt sint plena humoribus malis; nam munda non forsitan patiuntur ex illo; & corpora debilia iterum patientia sunt ex ea, sicut illa quæ multiplicant coitum, & corpora dilatatorum pororum, humida multæ balneationis.* Verùm putredinem iam dictam à sua Pestis idea, aut potius causa diuina penitus & incomprehensibili Fernelius cum suis commilitonibus excludit, contrà nos, alios Medicinæ Duces quàm stre-

Hipp. 2. Aph. 55.

Idem 1. de Diff. febr. 4.

Auic. locus oscitanter lectus à Mercur.

Auctoris opinio.

strenuissimos subsequentes, ponimus pro vera, & proximiori Pestilentiæ causa tam in corpore stabulante, quàm extrà, cuius tamen gradum supremum, quo mediante cor adeò insigniter, & latenter afficit, eiùs harmoniam atque temperiem destruendo, tanquam illatebratum minimè tenere ingenuè profitemur, quod forsitan est illud τὸ θεῖον Hippocratis, quodq. alij venenum appellare malunt, statuentes esse characterismum & ideam Pestis; sed, vt liberè quod sentio in apertum afferam, puto insignem putredinem, & excellentem, quam modò malam putredinem, modò corruptionem sparsim vocat Galenus, & qua similiter scribit differre febrim pestilentem ab alijs putridis, à veneno, seu venefica qualitate neutiquam discrepare, sed tria illa, putredinem, corruptionem, atque venenum, aut idem esse, aut saltem sese mutuò consequi, ita tamen vt postremum sit venenum. Quò si Fernelius cæcam, tenebrosaq. caligine obductam vim illam suam spectare velit, nulla profectò inter nos dissensio; quippe non vnam solamq. putredinem epidemiorum, pestilentium, contagiosorum, ac venenatorum morborum causam esse contendimus, sed vnà quoque occultiorem qualitatem, & veneficam vim latenter nobis infensam, quæ à sordida, fœtida, & profunda admodum putredine, à cuius natura idem odorem tetrum non excludit, originem ducat. Quæ cæca vis Ferneliana est ne quid diuersum à tota substantia, à forma substantiali, à forma specifica, à tota specie, & demum à specifica proprietate? Quibus varijs appellationibus Galenus, Auicenna, & alij vtuntur? Nequaquā (nisi fallor) quippe id colligitur primum ex Auerroe, vbi tradit totam speciem, seu proprietatem, vel naturam, formamve substantialem, nihil aliud esse, nisi proportionem, vel proportionatam elementorum mistionem, quæ cùm plerum-

Gal. 6. epid. 6. 29.

Auerr. lib. de Ther. cap. 2. & Coll. 5. cap. 25.

rumque sit nobis ignota, mirum non est, si eam modò occultam proprietatem, modò naturam secretam vocamus; necnon deinceps (vt propiùs ad Fernelij mentem accedam) ex Petri Apdnensis doctrina vnde hanc suam Fernelius hausit; qui & ipse explicans quænam hæc sit specifica proprietas, scripsit eam nihil aliud esse, nisi meritum mistionis elementorum rebus ipsis donatum à superiori siderum influentia, quam sententiam sese accepisse profitetur ab Auicenna, & quam præ alijs recentioribus sectatus est Fernelius, quem idiotæ Medici citant quasi auctorem ac inuentorem istius opinionis, quòd ille aut nunquam, aut rarissimè commemoret scriptores per quos proficit. Quò spectat dicterium eiusdem elegantissimi viri in Medicos omnes, qui à causis quibusdam communibus exire nesciunt, easdem quasi semper in cunctis morbis decantantes, & obijcientes. Nam ante Fernelium Auicenna vulgares homines vocauerat, qui sese attollere ad causas indagandas minimè possunt, quibus verbis commonefactus Fernelius in assignandis variolarum, & morbillorum causis sublimius propterea volauit Auicenna ipso, cuius spreta opinione, quòd eorum materia aut sit sanguinis menstrui excrementum, aut reliquiæ sint nutrimenti à menstruo fœdatæ, ad sibi consuetam sententiam confugit cælestibus ac diuinis causis multum tribuere solitus; nimirum ad cæcam & arcanam aeris vitiati qualitatem, cuius tamen rationes ab omnibus ferè neotericis scriptoribus abundè iam confutatæ fuerunt. Quamobrem (tanti Viri pace dictum sit) ad bene ac exactè medendum præstat, insensibilibus causis posthabitis (præter diuinam, idest à Deo manantem, è qua non semel ad nostra punienda delicta hæc dira plaga immittitur, vt constat è varijs sacrarum literarum locis, necnon è Celso, auctoritate Homeri, &

Conciliat. lib. de Venen.

Auic. lib. de Vir. cor. tract. 2. cap. 10.

Idē loco cit.

In Prouidentia Methodica citatis.

Celsus lib. 1. cap. 1.

ex Auicenna) in euidentibus magis ac magis certis consistere, quàm ad occultas, & ignotas, quæ nihil ad vsum indicant, velut ad Academicorum ἀκαταληψίαν se conferre. Vnde libenter gloriantur Medici morbos expositos ad plethoram, ad cacochymiam, ad obstructionem; & proximè ad putredinem, quæ ex illis gignitur, sed ea, qua sæpè dicitur, ratione, magis reducere, nec alias tota arte causas circumferre, & intonare, quàm ad illud quid maius, subtilius, abstrusum penitus, & imperceptibile, quasi ad Asylum quoddam confugere, quod sanè haud tanti faciunt ac æstimant, quanti Fernelius, qui maximis tenebris offusus cuncta reuera hoc in loco permiscet ac perturbat, quamuis eadem floridissimo sermonis afflatu mirificè exornet; & mordentia etiam suauissima scriptione veluti succo nectaris delibuta condiendo deleniat, vt de eo censendum censeam quod de Symmacho olim Vrbi Præfecto literis mandauit Ausonius: *Modò intelligo quàm mellea res sit oratio, quàm delenifica & suada facundia.* Verùm non solam verborum elegantiam, sed vim etiam rerũ spectandam putamus, cum vel aurum, si diligentius manu tractetur, foris precium, intùs metallum sit. Qui in hac re Peripateticos quoque, non solos Medicos, dissentaneos perpetuò habebit; illos, quòd non æquè patienter vnquam laturi sint primam Pestis causam repeti ab eo à maligno cælorũ influxu, hosce, quia ex modo generationis Luis inexplicabili nihil magis vtilitatis in Medicina agitanda percepturi sint, quàm vt Andabatarum instar cum pestifero hoste pugnent, clausis nimirum oculis. Consuetudo enim tam Medicorum, quàm Philosophorum omnium est, mentis aciem, neruosq. cunctos intendere, vt quod est densis tenebris inuolutum in apertum adducant, rebusq. obscuris lucem aliquam afferant, quod an faciat in hoc loco Fernelius, alijs dijudi-

Auic. 11. Metaph. ab initio.

Auson. apud Symm. lib. 1. epist. 26.

Quare Fernelius ab hac singulari opinione perpetuò habiturus sit dissentaneos Peripateticos, & Medicos.

candum relinquo, cui profectò vti Iatrophysico eximio dissimulandum saltem non erat, quòd certa posita causa, medentis quoque certus scopus est, ad quem collineet, ignota verò causa, vagus & oberrans, quippe, vt probè dixit Celsus: *Cuius rei non est certa notitia, eius opinio certum reperire remedium non potest*. De hac igitur, prout ad hunc locum, non valdè post breuibus agetur. Sed ò quàm rectiùs censet, vtiliusq; consulit Auicenna, vbi de Melancholia morbo verba faciens, quam aliqui à Dæmonibus, sicut Epilepsiam, imò & Pestem ipsam interdum, fieri contendunt, loquitur: *Quibusdam Medicorum visum est, quòd Melancholia contingat à Dæmonio, sed nos non curamus, cùm Physicam docemus, si illud contingat à Dæmonio, aut non contingat, postquàm dicimus quòd si contingat à Dæmonio, tunc contingit ita, vt conuertat complexionem nigram, & sit causa eius propinqua cholera nigra, deinde sit causa illius Dæmonium, aut non Dæmonium*. Quæ præterea affectio sola κατ' ἐξοχὴν, seu excellentia quadam *νόσος morbus*, vel antiquitùs vocabatur, sicut Vrbis nomen de Romana tantùm efferre consuetum fuit, vt pote cunctorum morborum maximus, ac princeps, & quo non fraudulentior, non terribilior, non perniciosior alter; nisi quis eum nomine generis nuncupari malit, quasi omnes continentem morbos, vel quòd cætera mala omnia quantumlibet suapte hyparxi salubria, vti febres tertianæ, & quartanæ intercalares, aliæq; adhuc mitiores, & simpliciores ægritudines, hoc vagante, in eiusdem labem demigrent, ac permutentur. Quem propterea alibi Protheo comparaui, diuersas ac multiplices species, aut figuras induenti. Ita namque varijs formis personatus faciliùs nobis imponit. Hùc spectat vulgatum dictum: *Quemadmodum Autumni tempore aues omnes ficedulæ euadunt,*

Celf. lib. 1. in Proœm.

Auicen. Fen. 1. tract. 4. c. 18.

Pestis cur sola morbus dicta.

sic, dominante Peste, morbi omnes Pestis fiunt. Quo ideò sæuiente, atque grassante;

tacito mussat Medicina timore;

sicut de eo cahit Lucretius; & in quo insuper medentes à primo exortu, vel quòd eum, aut causam eius ignorent, vt scribit Thucydides; vel potius, vt equidem reor quòd ob similitudinem maximè decipiantur (quæ fortasse etiam in Atheniensium Epidemia ab initio ipsimet Hippocrati sapientissimo imposuit) dum pollutos ægros venenatum spiritum in propinquos halitantes inuisunt, ac tangunt, attracta in formalia vitæ principia virulentia, præ alijs cadunt: Vnde nec citrà rationem affectus iste *Medico-mastix* dicitur; quippe quia, postquàm inualuit, altioresq. radices egit, incautos Medicos abripit, & eorumdem auxilia therapeutica ad se victor trahit, despicit, illudit, teste cum Thucydide experientia ipsa; nam in fronte salutem, in tergo autem & occipitio funus gerit, quòd binæ illi qualitates, in malis omnibus mortis consecutionem afferentes, consociatæ nunquam non sint τὸ ὀξὺ, καὶ τὸ δεινὸν, *acuties, atque malignitas*, Quem pessimum tanti morbi morem, post Ouidium, ita bellè delineat Guarinus Ferrariensis, vt versus eius tametsi vulgari atque hetrusco sermone exaratos hùc afferre, & latino opusculo inserere non erubescam;

Perian senza pietà, senza soccorso
D'ogni sesso le genti, d'ogni etade.
Vani erano i rimedi, il fuggir tardo,
Inutil l'arte; e prima che l'infermo
Spesso nell'opra il Medico cadea.

Imitatione scilicet Thucydidis, Lucretij, Senecæ Tragici, ac Diodori Siculi, cuius postremi authoris verba breuissima attentè legant, & considerent quicunque medentium laborem, & artem in malignissimo morbo sugillare

Lucret. lib. 6. de Natura.

Medici cur primi cadunt in Pestilētijs.

Thucyd. loco cit.

Pestis Medico-mastix.

Binæ Pestis qualitates pessimæ.

Ouid. lib. 7. Metamor. in descript. Pestis.

Guarin. in Pest. Arcadiana suæ Tragicom.

Thucyd. Lucret. loc. cit. Sen. Trag. in Oedipo.

Diod. Sicul. Bibl. lib. 14. de Peste Carthag. re non verentur. *Generatim verò accidit* (inquit Diodorus) *& Medicorum auxilium esse inefficax, tum ob morbi magnitudinem, tum ob mortis celeritatem.* Qui omnes eamdem mali prauitatem antea descripsere, & Græcus Historicus celebratissimus in seipso expertus

Alia Pestis proprietas, & eiusdem multiplex nomẽclatura. fuit, & si tandem superstes euasit, de cuius malitia nulli dubium esse debet, cum hoc habeat in propria idea, vt insidiando circumuolet, latitando surrepat, inficiendo

Dauid Ps. 90. Arist. 1. Probl. 7. corrumpat, quod ideò à diuino Psalmographo, *Negotium in tenebris perambulans* dicitur (sic etenim etiam negotium πράγματος apud Aristotelem ponitur pro λοιμῷ,

Ionatha in sacr. pag. idest, *Peste*) à Ionatha, *Sagitta Angeli mortis*; Hebraicè verò *Deber*, idest, vastitatem faciens, & loca veluti deserta reddens; Latinè *Pestis* vel solo nomine terrifica, quòd

Isid. 3. Etym. Artaxerxes in Epist. ad Paetum. Gal. de Ther. ad Pis. 16. pessundet, seu funditus euertat, ab Isidoro propterea *Pestilentia* quasi *Pastulantiæ* vocata, ab Artaxerxe *Lupus*, & à Galeno *immanissima Bellua*, sicut Græcè denique λοιμός, quod vocabulum est admodum affine alteri quo λιμὸν *famem* Græci designant, quæ vt nihil est aliud, nisi ἔνδεια σιτοῦ, *indigentia cibi*, ita Pestis nil nisi ἔνδεια σωμάτων, *indigentia corporum*. Quibus mirè congruit quod nuper

Tertull. lib. de Anima c. 14. legi apud Tertullianum, vbi Pestem vocat *Tonsuram insolescentis generis humani*; cuius subtilissimi Doctoris verba hoc in loco referre non grauabor, quæ sequentia sunt: *Onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum iam nos natura non sustinet. Re vera lues, & fames, & bella, & voragines Ciuitatum, deputanda, tanquam tonsura insolescentis generis humani, & tamen eiusmodi secures maximam mortalium vim semel cædant, nunquam restitutionem eius viuos ex mortuis reducentem post mille annos semel orbis expauit*; cum ijs, quæ vlterius affert ad refellendos τῆς μετεμψυχώσεως, seu transfusionis Animarum in

alia corpora astructores, quorum si vera esset opinio, sequeretur eundem perpetuò esse hominum numerum, hodieq. reperiri ipsissimos homines, qui in illis primis corporibus anima viuebant; cuius illationis inconuenientiam patefacere volens iam notata, & adhuc ampliora verba ibidem profert. Verùm, vt sermo, qua exijt, reuertatur, voces illæ duæ, λοιμός, & Pestis, Græca, inquam, & Latina, non pro vnica re vsurpari solent, sed hoc in loco ambas, & singulas pro lue, aut affectione cordis accipi velim, quæ plurimos homines eodem tempore vagè inficit, pessimè affligit, ac miserè tandem, & ocyssimè enecat, seu sit ab aere effecta contaminato, seu à veneno intus genito (nam de extrinseco malis artibus concinnato, & clandestinè inuecto ad propagandam labem, controuersa res est, à me alibi discussa) Quippè duplex, post Hippocratem, & Galenum, à neotericis Medicis illustrioris notæ, spectatissimæq. doctrinæ ponitur Pestis focus, seu fomes, origo, vel seminarium, nempe ambiens nos aer, & fœdus humani corporis succus, Græci Cacochymiam vocant; & ille quidem bifariam in vitium abductus, vt cùm propriæ substantiæ ratione contaminatus est, vel cùm crasis eius violatur. Pestis insitæ substantiæ aeris contaminatæ causa progenita mortiferam vim suam amplè admodum agit, ab interitu volucrum incipiens, vt Paulus, & Rhasis affirmant, plurimosq. commaculans locos, omnes propemodum homines prosternit, ferocissima cunctarum pestilentium, vtpote in qua venenosus aer euadit & contagionis vis maior est, & citiùs longiusq. sua inquinamenta vibrat, iuxtà id quod legitur de arca quadam in Babylone reperta in Templo Apollinis, miræ vetustatis, quæ perniciosissimum halitum aspirauit, vnde Pestis vsque ad Parthos peruasit. Hic fomitem inserit stragulis, tignis, araneis, quæ semina hæc fouent diu. Hunc ita venenatum, & con-

Essentia.

Hipp. & Gal. lib. 2. de Nat. hum. 3. Et in lib. de Flat. & initio prim. Epid. com. Gal.

Genera tria, seu triplex differentia.

Prima Aeris duplici modo ad eam progignendam concurrentis.

Primus modus.

Paul. & Rhas. loco propr.

contagiosum (nisi antea sit, vt infra docebitur, ingeniosa arte castigatus) sorbemus assiduè, ac per pulmonem in cordis penetralia spiramus. In quo Pestis genere libenti animo concesserim plures homines, præsertim quorum lubrica est valetudo,& vitalis facultas effæta,impræmeditatè, quasi fulmine ictos corruere absque febri,& absque vllo graui antea viso, vel percepto symptomate, vt cùm multi alij,tum Iacobus de Partibus in Peste suæ ætatis accidisse refert, necnon Alexander Benedictus ita dicens; *Hoc malum miserabile mortalibus ita euenit subitò, vt plurimi sine febri, inter domesticas, aut forenses actiones, vel publica negotia decem horarum spatio, vel viginti sine vrinæ, pulsusq. venarum certo signo, in templis, in via, in publicis officijs ex insperato rapiantur.* Quam rem multò ante obseruauit, literisq. mandauit antiquissimus auctor Aeschines Rhetor, vbi Deliorum Pestilentiam enarrans sic ait. *Febres non aderant, nec dolores magni.* Verùm hac de re alibi pleniùs. Hæc præterea illa est Pestis,quam definiens Philo ille Iudæus, cuius monumenta Platonicum halant nectar, vocat ἀέρος θάνατον, *aeris mortem,* & quam Chaldæi *Mundi Crisim, & cunctorum elementorum purgationem* dicunt; quæ quoniam horrenda vi, crudeliq. inimicitia humanum genus prosequitur, argutè ideo ad id respiciens Marsilius Ficinus scripsit; *Pestem esse cum aereo corpore Draconem.* Alioqui enim talis definitio haud omni Pesti competit,vt nec allata à Fernelio, quam potissimùm recitat Portus, & multi despiciunt è Medicis præseruationi & curationi iuxtà Galeni imprimis significata dogmata inuigilantibus. De qua similiter Pestis differentia intelligendus,ni fallor,Pindarus est; dum ita per interpretem loquitur: *Et ex vicinis multi participes fuerunt, simulq. perierunt, ac veluti ignis in monte ex vno semine prosiliens magnam vastauit siluam.*

Vnde-

Iacob. de Part. in Comment. ad Auicen.

Alex. Bened. lib. 1. cap. 7.

Aesch. Rhet. 1. Epist. ad Philocr.

Philo Iud. in lib. de Mūdo.

Marsil. Ficin. de Peste c. 6.

Portus de Peste lib. 1. c. 4.

Pindar. Pyt. 3.

Vndenam verò eiuſcemodi aeri contaminatio inferatur, tam ſecundùm Aſtrologos, quàm ſecundùm Medicos, altero in loco magis idoneo abundè à me pro viribus oſtenditur; maximè autem iuxtà Galeni, & aliorum Medicorum ſententiam, à tetris, putridisq. vaporibus è terra, aquis ſtagnantibus, latrinis, cadaueribus inhumatis, incrematis, locisq. cænoſis ſurſum elatis. Quò ſpectant carmina illa Lucretij de Peſtis cauſa loquentis:

Aſtrologorũ opinioni Medicorum ſententia antefertur. Gal. 1. de Diff. febr. 7.

Sic & Auerna loca alitibus ſummittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ ſurgit in auras,
Vt ſpatium cæli quadam de parte venenet.

Lucr. 6. de Nat.

Quinimò interdum euenit, præter exemplum de Arca Babyloniæ allatum, & de eo quod apud Ammianum Marcellinum legitur, vt piſces in ſubterraneis antris moriantur, exitu intercepto, ibiq. putreſcant; Vnde non ita poſt fœda illinc aura erumpens Peſtem inferre Prouinciæ ſolet. Ita patrum noſtrorum memoria Ferrariæ, violento terræ motu cum diù quaſſata fuiſſet, mox erupit ſulphureus fons, qui ardentem aquam piſcibus plenam effundebat: His Peſtis ſe ſociam dedit, quæ non eam Vrbem, ſed alia non longè diſſita loca diuexauit, fortè quia cõtagium in aere conceptum venti in alios populos tranſtulere. Parmæ in vltima Peſtilentia anno ac menſe Ianuario antegreſſis, priusquàm morbus incoharet, eodem menſe incipiente ſubſequentis anni, non leuis terræ motus ortus fuit, qui cauſa ne, an ſignum tantummodò fuerit impendentis tempeſtatis, non eſt loci huius ſpeculatio; Qui Medici (vt, vnde egreſſus ſermo eſt, redeat) de cauſis, quæ ab Aſtronomiæ peritis aſſignantur conſtellationibus, aut aſtris, cum ſint ſuprà elementa omnia, vltrà quæ Medicus, vt talis, quærere non ſolet, haud multum anxij ſunt ſolicitiue, puto quia aſtrorũ diſpoſitionem ſe neutiquam poſſe mutare cognoſcunt, vt vice verſa aeris, aquæ, ter-

Ferrariæ terræ motus olim Peſtilentiæ prodromus.

Parmæ item terræ motus anno antè, ac menſe quàm Peſtis hæc eã inuaderet.

ræ, & ignis qualitates alterationesq́. emendare, &,si non penitus tollere, saltem ad meliorem frugem, vi contrariorum,duceq́.aliàs expertorum medicamentorum multitudine, se posse adducere non desperant. Imò Pereda, cui multi recentiores adhærent, notat audiendos non esse, qui ex corporum cælestium coniunctione pestiferam in aere infectionem prouenire affirmant, eosq́. omittendos tanquam Architectos in cælo fabricantes domos sola intellectus operatione, vt cùm, scilicet, Saturnus, Iuppiter, & Mars, aut cùm Iuppiter, & Mars congrediuntur in humana domo, & signo. Ideò Picus Mirandulanus de Peste loquens ait, fieri non posse, vt à causa diuina tam perniciosus pródeat effectus. Attamen doctissimus Ioubertus, vt plures nunc alios prætermittam, Pestem definiens ait, *Eam esse aereum venenum ex putrium vaporum admistione, vel infelici Planetarum concursu, in perniciosissimam animantium genere conditionem dira conuersione mutatum*. Vnde quoniam pro parte Astrologorum stant multæ & rationes, & auctoritates summorum in arte virorum, propterea de hac quoque re diffusius à me agitur, vbi data opera de causis omnium Pestis differētiarum singillatim verba facio. Quippè licet Pestis causa, quæ à sinistro siderum influxu, de quorundam mente, promanat, immutari, aut prorsus deleri non possit, attamen de ea consideratio, ac mentio fit, quatenus præmonet corpora ita munienda, vt à cælestibus illis corporibus in aere facta impressio minùs, vel etiam nihil prorsus noceat. Quo pariter in loco non difficulter respondetur ijs, qui negant aerem posse putrere, quibus dubitandi ansam præstitit Aristoteles, quòd alicubi aerem putrescere deneget, at in Meteor. scribat: *Omnia putrent excepto igne.* Quæ dissensio solet ita componi; Aer simplex, & purus numquam putret, sed inquinamentis conspersus; vt aquæ & ter-

Pereda ad Pasch. Meth. cap. de febr. pestil.

Picus Miran. lib. 3. contra Astrol.

Ioubert. in lib. de Peste ab initio.

In Prouid. Meth. Theor.

An, & qui aer putredini ob noxius sit.

Arist. in Prob.

Idem Met. 4. cap. 5.

& terræ vaporibus conspurcatus, non secùs putret, putidumq́.halat,quàm Phthisicorum fœtens spiritus. Tunc enim minimè se habet tamquàm simplex elemẽtum,quod putredinis capax non est, sed corporis instar misti, quod putredini est obnoxium, cum putredo ipsa dicatur à Philosophis *Mixti passio*. Apud nos autem & sub Lunæ regione, vbinam pura vndiq́. & simplicia habentur? Comparatiuè ad alia mixta pura, simpliciaq́. vocata, concedam æquo animo aerem esse ab omni impuritate alienissimum,sed,si res in se ipsa consideretur,alia determinatio est afferenda,vt clarè elicitur ex Galeno. Sunt qui negant, & aliquot rationibus nituntur probare,aerem nullo pacto in propria substantia putredinem posse contrahere, licet non inuiti concedant corrumpere homines,& animantia: quod aiunt præstare iuxtà eum modum, quo Sol fertur sublunaria calorifica alterare qualitate, qua tamen in se carere asseritur. Aut etiam dici aerem corruptum esse; sed laxa quadam,latèq́. sumpta significatione,vt frequens mos est apud Medicos, propterea quia putridis corruptisq́. vaporibus persæpè circumfunditur. Cui opinioni fauere videtur Hieronymus Capiuacius in quadam ad Thomam Erastum Epistola,vbi putredinem,quę elementis competit, sic minus propriè dici affirmat. At aer cum sit calidus, humidus, sicut sanguis, & Auster, cumq́. sit cæteris putredinis causa,quid ni & ipse putrescere potest? Cur amabo idem, silentibus diù ventis, putredinem contrahit? quia corpora calida,humida, nisi ventilentur, putrescunt, vnde in Epidemijs Hippocratis aer quietus, & nullis ventorum flatibus commotus pro pestilẽtium morborum occasione ponitur. Tranquillus etenim aer, nullaq́, ventorum vi agitatus,vel impulsus, licet mitis lenisq́. appareat, attamen, nisi tempestate hùc illùcq́. iactetur, requietæ residisq́. & restagnantis aquæ more corrumpitur;

Gal. 1. de Elem. c. 5.

Capiuac.epist.ad Erastum.

Aer quietus cur apud Hippoc.pesti'entium morborum occasio.

tur;iuxtà illud:*Nam vitium capiunt,ni moueantur aquæ*. Verùm alia adhuc occurrunt pensiore examine dijudicanda, quæ non sunt huius loci. Altera autem Pestis, cuius prophasis accepta fertur aeris temperiei violatæ, rarò ita sæuit,vt prænotata, imò si non non adeò vehemens fiat in aeris temperie mutatio,alteratioue,non inde Pestis oritur,quæ in alios fundat contagium, sed communes alij surgunt morbi,febresq́.magis putridæ & pestiferæ,quàm veræ Pestilentiæ, cuiusmodi sæpè Aestate, & Autumno sub Romano hoc cælo experiri maximè solēt multi ex ijs, qui in locis suburbanis in planitie sitis aliquandiù morantur,ac dormiunt, præcipuè verò si Autumnus,quod persæpe euenit, non in Hyemem, sed in Ver abire videatur cum nullis,vel paruis flatibus aquilonijs. Tunc enim violatur aeris temperies, quoniam ὥραι non ὡραίως eueniunt, hoc est,*tempestates* non *tempestiuè* sibi mutuò succedunt; taceoq́. insignes aeris mutationes ab æstu ad frigus,à madore ad squalorem identidem,& extemplò nobis fieri solitas, quoniam rarò ab his sub hoc inconstantissimo cælo patimur, tanquam versabili eius naturæ assueti, licet talis constitutio diù perdurās ab Hippocrate pro pestifera notetur, qualis est quam in Cranone fuisse tradit. Secundo loco pro Pestis causa positus fuit corporis succus in venenatam qualitatem abreptus, ob nutricatus corruptelam, præsertim si aer extrà lineam propriæ temperiei abductus nutricatum ipsum validiore,malaq́. putredine cōtaminet,in quod corruptelæ vitium succus tūc promptiùs abit,cùm in nobis colligitur, dum, ob summam annonæ inopiam,& famem,alimonijs cacochymis,sæpeq́. vitiatis vesci cogimur, vel etiam cùm, absque famis, aut penuriæ occasione, fructibus horæis, seu fugacibus, herbis, leguminibusq́. in quibus nutrimenti, vel nihil, vel parum, excrementi autem serosi & corruptibilis plurimum inest, æsti-

Secundus modus.

Febres pestilentes absque Peste quādo, & in quibus Romæ fiant.

Hipp. 2. Epi.

Secunda Pestis differentia ex succis intrinsecùs corruptis.

æstiuis maximè diebus ad caloris flagrantiam temperandam, largè admodum vtimur, nec non diuersas potionum species intēpestiuè & copiosè nimis ingerimus. Qui quidem internus succus ob prauum collectus nutrimentum, vt nos Galenus docet, diù in venoso genere innoxius latitans (perinde ac rabidorum Canum venenum, quod morsu intromissum pluribus & mensibus & annis intus absque aliqua manifesta noxa delitescere certò scimus, præter eiusdem Galeni testimonium) temporis tandem progressu ictu oculi mortiferos non solùm pestilentes morbos inuehit; Neque enim dubium est, quin nasci in nobis venenum possit quàm sæuissimum, vltrà id, quod à sanguine extrà venas effuso, in trombosq. coacto, nec non à semine retento, atque corrupto gigni aliquandò consueuit, perquàm simile veneno hausto, aut ei quod à bestiarum venenatarum morsu originem ducit, imò etiam veneno aereo pestifero simul & contagioso, præsertim si, vt ante dicebam, ab aere ad huiusmodi succum corrumpendum suppeditetur occasio. Testatur namq. Galenus, cui Paulus imprimis, & Auerroes consentiunt, æqualia esse, aut vix ab inuicem differre tria hæc venena, serpentum venenatorum, Pestis, & quod intrà nos gignitur. Vnde in Epid. talia habet verba; *Fiunt dolores maligni à maleficis vel medicamentis, quæ deleteria vocant, vel feris virus eiaculantibus, vel humoribus quibusdam ex prauo victu, vel ex aere pestilente in corpore genitis*. Singulis etenim hæc inest proprietas (diuersa penitus à natura alimentorum, & mineralium, quorum illa post multas alterationes nobis denique assimilantur, hæc verò ideò nutritioni sunt inepta, quia substantiam nostræ assimilabilem non obtinent) vt non modò corpori nostro assimilari non possint, sed naturam insuper habeant nostræ planè infensam, & inimicam, quam scilicet vi, ac proprietate indicibili

Gal. com. 5. in lib. Hippocratis de Alimen. & alibi.

Gal. 6. de locis affect. & 1. Prot. com. 1.

Venenum intrà nos gigni.

Idem 6. Epid. comm. 6. t. 5.

Tria esse æqualia Venena.

Singulis quęnam indita sit proprietas, velut eorundem diuersitas ab Alimētis ac Mineralibus.

corrumpunt, ac destruunt. Quamobrem ob tam arctam affinitatem, adeoq. magnam analogiam, quibus in vnum & idem tres hi vitæ nostræ hostes acerrimi conspirant, fit, vt in magnis semper Pestilentijs animos hominum introducti ac disseminati veneni suspiciones inuadant; cuius suspicionis apud Athenienses in illa decantata Epidemia mentionem facit Aretæus, relicto nunc Thucydide, qui de Angina loquens, postquàm dixit succos lethales esse intus, & extrà, morbosq. venenis perniciosis assimiles; nec non propter medicamenta talia vomi, qualia febrium causa vomuntur, subiungit: *Nihil inconsentaneum, & à ratione alienum fuisse in Peste, quæ Athenis fuit, nonnullos arbitratos in Puteos Pyræi à Peloponnensibus coniecta esse venena, quippè homines non intelligebant affinitatem pestilẽtis morbi cum venenatis pharmacis.* Quinimò non desunt viri grauissimi, qui scriptis annotarunt, ex potu aquarum veneno deprauatarum Atheniensibus tantam accidisse calamitatem, in bello Peloponnesiaco ab hoste infectis puteis, cum alioqui constet ex Thucydide, Galeno, & alijs, talem Pestilentiam primariam traxisse originem ab inquinamentis putrilaginosis ab Aethiopia per aerem, medijs vectis, ad Atheniense cælum translatis. Fieri tamen & id potuisse ab hostibus, vt morbus aliunde inchoatus incrementum susciperet, negare minimè ausim; nam & Hieronymus Fracastorius Pestis meminit in exercitum Gallorum apud Neapolim grassantis, in qua ijdem suspicati fuerunt, dum Vrbs illa sub Lutreccho obsidebatur, fuisse veneno infectas aquas à Neapolitanis foris, antequàm obsidione circum vallarentur anno 1528. Hæc autem suspicio tantò magis adaugetur, ac verisimilis fit, quantò non solùm anteactis sæculis, quibus constat ex Liuio, Matronarum Romanarum veneficijs, & ex Dione, per venenatos acus vim pestiferam in Romanos inuectam, ac

Cur tempore Pestis suspiciones venenorum disseminatorũ animos hominũ inuadunt.

Aretæus l. 1. de Sig. acut. cap. 7.

In Epidemia Atheniẽsium eiusmodi viguit suspicio.

In Peste exercitus Gallorũ Neapolim sub Lutreccho obsidentis. Fracast. lib. 2. c. 7. de morb. contag.

Liuius, & Dio de Peste veneficijs, & per venenatos acus disseminata.

ac disseminatam fuisse, sed nostris quoque hisce diebus, in Panormitana priùs, mox verò etiam in Mediolanensi imprimis Pestilentia certo certius constat, inuentos fuisse homines, hominum ipsorum osores, ac infamis, execrandiq. lucri præauidos, qui venenatis vnà, & contagiosis vnguentis, cataplasmatis, pulueribus, olim saponibus quoque, & alijs dæmoniacis pharmacis mortiferam Luem si non primitùs intulere, saltem iam mitescentem, & quasi cessantem alere & latè propagare ausi sunt, nescio quibusdam antidotis intus foris se se antea pręmunientes, in quo infando scelere deprehensi, sicut olim mulieres illæ Romanæ, ac tantum fassi crimen, meritò à Iudicibus damnati fuerunt, pœnasq. tormentis & cruciatibus sæuis dedere. Indicant autem suprà significatæ rei veritatem, quòd in corporibus alioqui benè valentibus ex tempore interdum nascantur symptomata lethalia, quòdq. quotannis fermè Aestate abeunte, ac Autumno toto, in febribus malignis, & pestilentibus citrà contagiosam perniciem, tum aliorum locorum inquilini, tum maximè Romani climatis calidi, & humidi, ventisq. austrinis obnoxij incolæ, consimilia funestè patiantur, sæuitie, atque malitia deleterijs venenis neutiquam cedentia, cuiusmodi, vt alios taceam, Critoni in Thaso superuenere, sicut sexdecim ab hinc circiter annis in Alma Vrbe vetustæ, atque Excellentissimæ Familiæ, cuius ægris, medio Autumno, austrina vigente constitutione, ex longinquo itinere Romam ingressis, simulq. omnibus, numero ferè quadraginta, intrà paucissimos dies febribus pestiferis, sed sine Peste, correptis ipse præeram: Vbi specimen quoddam Pestis obseruabatur, si duæ conditiones, quæ ibi non aderant, excipiantur, nimirum communicabilitas, & plurium interitus; quippe vndecim tantummodò obiere; Velut similiter & multò clarius eorumdem malorum, vi cõtactus ac fomitis, communicabilitas ...

In Pestilentia nunc vagãte.

Apud Hip. 1. Epid. 3.

Historia Epidemiæ non contagiosæ, & particularis, cui Auctor præfuit.

mu-

Cohabitatio cũ laborantibus febribus pestilentibus etiam sine Peste ab Auct. cur damnata.

municatio, vt parùm tuta res sit, cohabitare cum laborantibus huiuscemodi febribus pestilentibus, & si per initia nec contagiosæ, nec perniciosæ iudicātur. Vapores enim, qui ab humorum intùs corruptorum (quod fœtens halitus abundè indicat) putrilagine expirant, tanquam miasmata quædam, aut putredinosa effluuia corpus aptum, & paratum afficere, & coinquinare valent per intermedium aerem, cui insperguntur, tum inspiratione, tum verò etiam transpiratione in intima cordis attractum, vt simul habitare cum his quasi Peste correptis, aut iam iam corripiendis lubricum & minimè tutũ esse existimem, suspectis præsertim temporibus. Periculum est enim, assertore Galeno, ne labes suscipiatur velut Scabies quædam, & Lippitudo; quippe rarò Pestis hæc à maximis incipit, cuius exordia prima, vt cæterorum morborum debiliter incohãt, & sicut dies in ipsomet exordio non refulgent, sed in processu tẽporis incremẽto luminis & caloris micant, & exæstuãt; ideò cùm alia antecedere eam solẽt, tum febres mali moris, interimentes plurimos; quod, præter Vallesij testimonium, manifestissimè cõtigit in hodierna à primo morborum insultu. Vnde Medici, potissimùm Parmenses, Bononienses, ac Florentini, ob similitudinem cum febribus malignis, & pestilentibus sine Peste, quæ similitudo, de mente Hippocratis, etiam in arte versatissimis persæpe imponit (vt & ipsi forsitan in Atheniensium Peste ab initio, si curationi illius tunc præfuit, siq. de eo intelligit, candideq. loquitur Thucydides) aliquandiù ancipites, & incerti fuerunt, an febres illæ apud eos vagantes, cum pestifero veneno copularentur, aut prodromæ saltim essent Pestis impendentis, nec ne, vsque dum mortifera Lue in diem magis effera reddita, ac ita elucescente, cœperunt in cute efflorescere omnis generis exanthemata, & præsertim ad emunctoria hepatis, & lienis, Bubones pessimi,

Gal. 1. de Diff. febr. 2.

Pestis rarò à maximis incipit.

Vallesi. com. ad 2. Epidem. Sect. 1.

Similitudo etiam in arte versatissimis imponere solet.

Hipp. in Ep. & Aristot. 1. Elench. cùm ait: Si vis esse cautus à deceptione, caue à simili.

Thucyd. loco citato.

Bubones maligni quinam Hip. dicãtur.

de

de quibus Hippocrates (vbi expositio Galeni deſidera- Hipp. 6. Epid. Comm. 2.
tur) ita ſcripſit: *Abſceſſus veluti bubones ſigna quidem ſunt germina habẽtium tum aliorum, tum præcipuè viſcerum. Maligni autem hi ſunt*. Quippè, vt idem ait, *Febres omnes ex inguinum tumoribus, præter diarias, malæ*. Idẽ 4. Aphor. Significant enim morbum aliquem latitantem in viſceribus, ideoq́. iure merito maligni cenſentur, quemadmodum & in alijs corporis regionibus Antraces, ſeu Carbunculi extuberare viſi fuerunt, quales olim in Cranone apud eumdem Hippocratem loco antè adducto, qui tumores ambo ſunt ordinarij Peſtis aſſeſſores, aliaq́. multa in cute, & alibi inſurrexere ſigna & ſymptomata, quæ vnà cum fœditate ſerpente indubitatam rem fecerunt; Non diſſimili modo Hydrophobia ex morſu canis rabidi, præterquàm quòd ratione cauſæ morbus eſt venenatus, quia præterea virulentiam ſuam ex inexplicabili (irridendi namq́. ſunt qui ad intemperiem tantùm redigunt) humorum putredine ob venenatum canis morſum, & virulẽtum inflictum vulnus acquiſitam impertit, inq́. alios transfundit, contagioſa exiſtit, non ſecùs ac Peſtis particularis intrà Oppidum, vel vicum, vel domum, aut perſonarum, vel rerum maculatarum, ſeu etiam aeris determinati contagione effecta, & forſitan etiam vt Phthiſis, poſt Hęmoptyſim, ab vlcere pulmonum inſanabili exorta; quæ ambo venenata contagioſaq́. vitia omnes vnius & eiuſdem loci aut cohabitationis familias integras de medio tollunt, & illa quidem citiùs, ac promiſcuè, hæc verò tardiùs & congeneres magis. Addo quòd, niſi introitus alijs, commerciumq́. inhiberetur, & commeatus, atque omne ſupellectilum, quæ infici contaminariue poſſint, genus accenſo igne conſumeretur, aut exactiſſimè expiaretur, ac noua inſuper calce dealbarẽtur muri, totiuſq́. loci, aut domicilij aer igneo mediante calore purior, & mundior fieret, dubio procul

Idem 2. Epid. Bubo & Antrax duo Peſtis aſſeſſores ordinarij.

Natura Hydrophobiæ.

& Phthiſeos ex pulmonum vlcere.

ibi

ibi intrà adeò angustos limites gradum non sisterent, sed vlteriùs serperent, contagiosumq́. virus quomodolibet disseminando in multò plures vibrarent. Notissima omnibus est historia à Iacobo de Partibus Auicennæ interprete allata de quodam Medico nimis accurato & curioso puris in prunas proiecti; qui putido halitu inspirato in Phthisin incidit, quemadmodum & in Pestem illi, qui contaminatos ægros adeunt, & è propinquo inuisendo contrectant ac tangunt, eorumdemq́. spiritum graueolentem aeri immixtum respirando alliciunt. Hoc prætere a habet pestifera Lues hæc in sua Hyparxi, vt (sicuti in hodierna cernitur, si primordia, incrementum, & post nescio quamdam indulgentiam, nulliq́. fidam quietem, renouationis eius modum diligenter attendimus) contage mera nonnumquam irrepat, minimè vitiato aere, saltem communiter. Talem suspicor fuisse Pestilentiam illam, quæ Vrbem hanc, sub Neronis Imperio, tam acriter diuexauit, quàm quæuis alia, cũ de ea ita scribat Tacitus: *In qua* (Vrbe) *omne mortalium genus vis Pestilentiæ depopulabatur, nulla cæli intemperie, quæ occurreret oculis.* Nescio an Fer neliani manes obiecturi sint, locum hunc Taciti pro incognita, & aeri immersa vi deleteria stare, atque pugnare aduersus aliter sentientes, propter illa scilicet grauissimi Historici verba; *Quæ occurreret oculis, sed domus,* subnectit, *corporibus exanimis, itinera funeribus complebantur. Non sexus, nõ ætas periculo vacua. Seruitia perinde ac ingenua plebes raptim extingui, inter coniugum & liberorũ lamenta: qui dum assident, dum deflent, sæpè eodem rogo cremabantur.* An quid sublimius præter vim cæcã Fernelij, præter τὸ θεῖον Hippocratis (iuxtà Gal. interpretationem) insinuare mẽti nostræ vult Tacitus, aut qui per os eius loquitur Spiritus? Ait siquidem paulò antè: *Tot facinoribus fœdum annum etiam dij tempestatibus, & morbis insigniuere.*

Iacob. de Part. in Auic.

Tertium Pestis genus ex mera contage.

Tacit. lib. 16. Annal.

re. Vastata Campania turbine ventorum, qui villas, arbusta, fruges passim disiecit; pertulitq. violentiam ad vicina Vrbi. Vel itaq; ad iram Dei omnipotentis, ac Trini (quem Tacitus ignorabat, quemq. impius Tirannus turpiori, violentioriq. exitio speciali destinatus tot scelestis facinoribus irritabat) Pestis illius origo immediata referenda, cum causam non haberet manifestam, vel ad contagem latenter, & promiscuè in omnes serpentem. Quæ contagio, cum Fracastorio, qualitas est perniciosa ab vno in alterum transfusa, ac pluribus alijs communicabilis per contactum, vel physicum, hoc est, formalem, potentialem, qualitatiuum, vel mathematicum, idest, corporeum, actualem, quantitatiuum, vtrùm verò semper aliquo materiali, aut spiritali effluuio, sunt qui in dubium vertunt ex eo, quòd non omnia σωματικῶς, idest, mathematicè, sed quædam ἐνεργητικῶς agunt, dico non corporaliter, sed physicè, patiens sola qualitate attingentes, quam vt actu possideant minimè dicunt esse necessarium, siquidem sæpè eam ἐντελεχείᾳ sua excitant in subiecto capace; ex quo dicuntur agere ἐνεργητικῶς. Quæ contagiosa qualitas sensibus nostris admodum obscura (siue sit materialis, qualis quæ intrò subit per contactum ob humores superficiem corporis occupantes, eosdemq. lentos & viscidos, cuius communicatio nòn fit nisi cominus: & quæ, nisi tangendo, non afficit; tangunt quippè sese quantitatiuè, vt aiunt vel mathematicè corpora, quoties vnius superficies alterius superficiem immediatè attingit: siue sit formalis, cuiusmodi est quæ per contactum ob spiritus transfertur, quæq. eminus, & è longinquo afficit, velut adhuc longiùs, ocyùs, ac vehementiùs, quæ energiticôs solùm, cum formalior sit, & spiritalior) tam per alios clarè meabiles ductus, quàm etiam per cæca cutis spiracula se se à fomite, vbi viget, in viscera indit, imò & arteriarum indèsinenti

Fracast. loco citato.

Duplex contactus, physicus, & mathematicus.

motu rapitur à corde, vt id fiat, præter institutum, hostis sui; nam dilatatis arterijs quæ in cutim desinunt, eamq. perreptant, dum aerem allicit ad natiui caloris contemperationem, vnà cum ipsomet aere hostem in intimiores proprij cubiculi sinus attrahit, atque recondit, vt aliquot quoque exemplis venenorum extrinsecorum abunde constat, quæ non sunt hoc in loco propalanda.

Symptomata Luis ferè innumera.

Quam quidem vtcumq. genitam Luem satellitum infinitus ferè numerus, dico symptomatum vehementissimorum sindrome consectatur (quæ cùm non apparent, latentioris adhuc, & magis venenatæ Pestis indiciũ inde fit manifestius) medentium opera indigentium, nec eorumdem sensum decipientium, quæ apud Thucydidem, & Lucretium, &, ne à Medicis discedamus, apud Hippocratem potissimùm, & inter neotericos apud Ioubertum amplè admodum & exactè notata leguntur, sicut etiam (si parua licet componere magnis) in mea Theoria. Quæ symptomata putredinis sanè insignis, nec ita vulgaris, imò fœdatissimæ, ac malignissimæ sunt germen aut soboles, à qua vel durissima ossa exeduntur, sphaceloq. afficiuntur, & qua sæuiente, vt pestiferæ constitutionis tempestate, nerui, venæ, arteriæ, cutis, & caro corrumpuntur, taboq. diffluunt. Vnde Galenus explicans illa Hippocratis verba: *Plerisq. horum in constitutione illa verè pestilenti, in qua suppurationes, abscessus cõtigerunt, atque carnis multum, & ossium, neruorumq. decidebat,* ita loquitur: *Malignitas abundantis humoris ex magnitudine constitit putredinis.* Quæ non leuiter corroborant quæcunque suprà de putredine insigni proxima & immediata causa Pestis afferebantur. Omnium autem symptomatum Pestilẽtiam concomitantium princeps ferè semper est dira febris, verè pestilens, & meritò cum Peste vocata, quam aliqui in Arte clarissimi viri adeò Pesti connexam dicunt, vt huius natu-

Hipp. in varijs Ægrot. Epidem. Histor.

Ioubert. loco citato.

Eadẽ germen sunt sordidæ putredinis.

Gal. 3. Epid. 3. 13.

Febris an sit de essentia Pestis.

natura non melius quàm per febrim acutam & contagioſam explicetur, arguentes omninò eos, qui tanquam conſequens ſymptoma eſſe dicunt, eamq. à Peſtis definitione, velut non ſubſtantialiter inhærentem, excludunt (de qua controuerſia, ſicut etiam de Ephemera, & Hectica peſtilentibus in eodem agitur Opuſculo) Febris inſuper profectò de illis eſt, quas Hippocrates, & Galenus πεμφιγώδεας nuncupant, nec non, quod alijs placet, aſpectu graues atque horribiles, quippe, vt Thucydides à Galeno citatus pariter affirmat, corpus, quod infeſtant, non modò ſubrubrum, ac liuidum, ſed etiam phlyctænis paruis & vlceribus effloreſcit; de quarum ſæuitie ſatis dictum cum Hippocrate ſit: *Morbi acutiſſimi, maximi, grauiſſimi, & præ cæteris lethales, in febribus continuis*. Quæ verba ſi vera experimento eſſe non dubitamus de febribus ſimpliciter putridis tam verè continuis, aut continentibus primarijſue, & eſſentialibus, ſeu ſint homotonæ, ſeu epacmaſticæ, ſeu paracmaſticæ, aut etiam de ſymptomaticis, & accidentarijs, quales experiuntur Pleuritici, Peripneumonici, Anginoſi, Phrenitici, & alij internorum viſcerum phlegmone laborantes: quàm etiam de non re vera continuis, cuiuſmodi ſunt quæ ad manifeſtam endoſim deſcendunt, habentq. paroxyſmos inchoantes, creſcentes, vigentes, ac remittentes, quantò magis de peſtilentibus venenatis certo certiora eſſe fatendum eſt, quæ cunctas magnitudine, acutie, pernicie, continuitate, atque periculo longè, lateq. ſuperant? quæ nimirum cor imprimis, mox cerebrum, hepar, ventriculum, tandemq. vniuerſam corporis œconomiam (caumate ſimul intimiori ab ægris vix cognito, atque venenata Lue à iam dicta ſumma ac excellenti ſuccorum prauorum putrilagine pepaſmi plerumq. experte, data ſæpiſſimè ab aere occaſione, originem ducentibus) repentè inuadunt, aſſiduè turbant, &

Inter pemphigώdeas connumeranda.

Hippocr. & Gal. 6. Epid. Com. 1.

Thucyd. ibidem à Gal. citatus.

Febris peſtilentis acutiē, grauitatem, & perniciem colligit Auct. ex Hippocr. 1. Epidem. 3. t. 41.

Grassante Peste aliquando homines absque febre intereunt, & cur.

calamitosè oppriment? Raro etenim accidit, quòd grassante Peste homines sine febri moriantur, licet interdum euenire concedatur, in aerea maximè pestilentia, occulta vi, & arcano veneno sæuiente, ex spiritibus in corde occultæ antipathiæ energia antè fatiscētibus, quàm flagrantibus, aut priùs qualitate deleteria corruptis, quàm intemperie qualitateue manifesta calorifica alteratis, subitaria Syncope oborta. Malum propterea vndiquaque κακοηθὲς, καὶ ὀλεθριὸν, καὶ πολύμορφον. (neque enim certi morbi nomen est, sed cuiuscunque communis, & lethalis, auctore Galeno) quod magnam Italiæ partem, vt dicebam, Insubriam scilicet totam, eiusq. imprimis metropolim Mediolanum (in qua tamen Vrbe nunc, dum hæc scribo, extinctum prorsus incendium esse fama vagatur) & vniuersam fermè ab hac parte Venetam, sicut (à nobis breui disiunctam interuallo) Hetruscam regionem funestè nimis depopulatur. Cuius præuisa iacula ne Te, Excellentissime Domine, Tuosq. feriant, ad Artis medicæ industrias, & auxilia confugis, quæ ab alijs, & à me scribantur, quorum ope illa aut repulsa, aut retusa minimè lædant. Id autem vt quantocius fieret, nuper iussisti, more scilicet cordatorum quorumcunque Virorum, & maximè Principum, qui impendentis tempestatis cladem, & è proximo pariete rutilantis flammæ incendium domui propriæ instare præuidentes, consultum sibi, suisq. volunt, ac student quantum possunt, vt sarti tecti, seu penitus illæsi, & incolumes custodiantur, nec tam malignam Luem, tamq. immanis belluæ morsus venenatos medicam industriam illudere solitos, experiri cum misera plebecula cogantur; neutiquam ignorantes quod illo decantato senario effertur:

Pestis non est certi morbi nomen.

Gal. 3. Epid. t.20.

Principum cautio.

Aegriùs eijcitur, quàm non admittitur hostis.

Quæ numquam satis commendata cura, aut anticipata munitio quàm sit illis proficua, sensus patefacit, & quoti-

diana

diana obseruatio apud exteros quos tanta nunc occupat, & affligit calamitas; Vbi constat nobiles, diuites, in Imperij fastigio collocatos, & in summa, omnes quicunque intrà domata, & claustra sese cludunt (vnà tamen secum rebus in vitæ subsidium necessarijs, magisq; idoneis, velut ad Luem propulsandam, & excludendam alexipharmacis conducere creditis, & expertis larga manu comportatis) minimè omnium ab hoc potissimùm mali genere (tametsi ab aerea etiam labe oriundo) infestari, & abripi; quoniam sibimet opportunè ac tēpestiuè consulunt, primùm commeatu interdicto, mox verò etiam præsentaneis auxilijs sua corpora, ne in rationem Libitinæ veniant, loricata præmuniendo, & ijsdem, iuxtà Medicorum normas, antè ingruentis morbi tempestatem, assumptis, & vsurpatis. Imò refert hoc in loco Massaria, vbi de Peste agit, quæ sua ætate Vicentinam Vrbem patriam suam depopulabatur, à manifestissimo orta & adaucta Contagio; neminem ex ijs, qui intrà carceres detinebantur; quia cum alijs minimè communicabāt, pestilentia mortuum fuisse. Quamobrem quod mihi, & alijs quoque Viris doctioribus insimul accersitis onus mandare, ac imponere Tibi libuit, ne subtractis humeris subterfugere, vnàque Tua iussa parui pēdere cuipiam videar, statui & ego calamo si non volanti certè currenti notare quæcunque ad id muneris magis facere, & conducere iudicabo, omni posthac prætermissa cōtemplatione, velut omni pēsiori examine minimè curato, cunctisq; penè relictis tum Problematis, tum Quæsitis, quæ hac in materia abundè nimis suscitantur, ac promouētur, idq; eò magis, quò parti huic, quantum videlicet paupertini ingenij mei exilitas assequi potuit, satisfactū ex me existimo in Opusculo septimo ab hinc mense typis excuso, si praxim, & verè dictā prophylacticem, sicut in altero diuulgādo, si theorexim, ac generaliorē doctrinam spectemus.

Intrà claustra & domata quicunque tempore Pestilentiæ sese cludunt, minimè omniū à morbo corripiuntur, sicut qui intrà carceres cohibentur.

Massar. in lib. de Peste.

Cum itaq. nō Curationem requiras, cuius opera (summi Dei beneficio) superuacanea nunc est, & ideò sub hoc nostro cælo ne flocci quidem facienda, sed Præseruationem petas, & recupias, quod prudentiæ Tuæ sit cauere etiam quæ non putantur emergere, quantò magis quæ imparatos nos offendere, fulgurisq. instar adoriri posse timentur; scias propterea antè omnia velim, quòd quemadmodum priori conuenit morbi præsentis sanatio, sic posterior futuri mali primordia abscindit, cuius idcircò officium Galenus esse aiebat, causam, quæ morbum creatura est, adimere, si de ea loquamur prophylactice, quæ purè sincereq. talis dicitur, à therapeutice vtriq. discreta, quippè sub hac iam sensibiliter ex ipsa causa genitus morbus est, in illa verò tantummodo euenturus metuitur.

Curationis & Præseruationis officia, quæ sint. Gal. 4. Meth. c. 3. & lib. 11. c. 1.

Quoniam autem Pragmatici, non ἁπλῶς, sed vnà quoque Dogmatici, tam Curationem, quàm Præseruationem instituere numquam solent, nisi per medios scopos, ad quos collineanda mens est in vtroque munere præstando, & obeundo, (quæ per solam inueniuntur experientiam, sæpè fallacissimam medicamenta meris obseruatoribus & Empiricis relinquentes, illius tamen vi non penitus neglecta, in his præsertim malis à tota etiam, vt aiunt, substantia, non modò euidenti qualitate lædentibus) ea propter, cum scopi ipsi, quos pariter indicationes vocitant, ab essentia rei, Galeno auctore, primitùs exoriantur, indeq. nobis suppeditentur, ideò necesse habui pauca superiùs annotata præmittere de pestiferi, & contagiosi morbi natura, vt inde postmodum hoc in loco remediorum pro hac præseruatione inueniendorum principium sumere, & auspicari possem. Pleniùs etenim, quantum adeò acuti, ac maligni morbi tenebris inuoluta idea rudiori meo intellectui concessit, id à me tentatum est, si non præstitum in paulò ante citatis Libellis. Vnde, ne acta agere di-

Pragmatici rationales vndenam curationem morborum venentur, & incipiant.

Gal. 3. Meth. ad initium, & lib. 11. c. 8.

dicar, & libros potiùs componere, quàm Consilia scribere, aut exarare (quæ & ego libenter concesserim vt plurimum, non semper, brachilogiam magis quàm multiloquium requirere, vti cùm in ijs de curatione agitur morborum, in quibus facto opus est, non consulto, quam rem clarè docet Hippocrates, & roborat vulgata Parœmia:

Dum Roma consulitur, Saguntum comburitur.

nullo autem modo, vbi morbi dāt inducias, & præseruatio describitur affectus nōdū præsentis, sed remoti, & absentis eapropter ad rem quā postulas, & optas non valdè prolixa deliberatione enarrandam me accingo, de qua multò plura è iampridem diuulgata Prouidentia Methodica ad imminentem Pestem præcauendam (quem Libellum assiduè præ manibus Te habere fateris) facillimè haurire poteris.

In quibusnam pro curatione morborum Consilijs, seu Consultationibus multiloquio temperādum est. Hipp. in lib. de Arte.

In præseruatione ergò, quoad rem præsentem, duo tantùm haberi ante oculos mentis debent, sub quibus alia etiam secundariò continentur: Alterum, vt extrinseca grassantis Pestilentiæ causa (quæ morbidi, seu venenati aeris communioris nondum fuisse creditur, sed contages magis, vi tactus, & fomitis, ab exteris militibus, occasione belli, Galliam Cisalpinam inuadentibus primò inuecta, deinde verò per fomitem ipsum, perq. etiam nonnulla à scelestis homophagis confecta, & circumlata venena pestifera, quasi continuato filo, & vitij quodammodo illius instar, quod piscatoris præualidis lacertis per hamum, funem, & virgam à marina Torpedine, vim suam, vt ait Plinius, cognoscente, impertitur) vagari, disseminariq. solita inhibeatur, arceatur, & propiùs accedens omni studio frangatur, priusquàm virus eius nos attingendo propagetur, & à nobis penitiùs imbibatur. Alterum, vt corpora ad illam nihilò minùs transpiratu, quàm inspiratu, mediante arteriarum, & pulmonis diastole, suscipiendam, vel admittendam, inepta reddantur. Ita namq. & agenti causæ, & cor-

In hac Præseruatione duæ primariæ Intentiones, sub quibus aliæ secūdariæ continentur. Prima è primarijs.

Torpedinis piscis exemplo astruitur veneficæ contagionis dispersio. Plin. lib. 9. c. 42.

Secunda.

& corporis passuri habilitati, seu dispositioni, vno, eodemq; tempore, obuiam ibimus, & occurremus, nimirùm longè arcendo quæcunque contaminandi potentiam obtinent; & internam materiam, quæ ad non vulgarem putredinem, & ad contagionem, vndecunque veniat, admittendam sit comparata, varijs ingenijs ac modis infringendo, & oppugnando; cordis præterea arcem iaculis venenatis hinc inde vibratis obnoxiam alexiterijs & cardiacis antè muniendo; aeris quoque imprimis hisce intentionibus conuenientissimi inueniendi non leui cura adhibita.

Secundariæ.

Secundæ Intentioni primariæ quomodo occurrendum, nam primę primariæ more Principi obuiam itur.

Animi probi, vel praui, & corporis puri, vel cacochymi comparatio.

Plato apud Gal. 1. Simpl.

Gal. 5. Meth.

Cacochymi cur præ alijs à Peste inuaduntur.

Secundo loco positam è duabus primarijs intentionibus exequimur, corpus ipsum ab excrementis, & prauorum succorum colluuie expiando, & optimis vicissim, velut per epicrasim dictam, alimonijs nutriẽdo; quippè verissimum est, vt animum castum, aut castigatum obscœnis vel scriptis vel colloquijs, ita corpus à recrementis purum, ac mundum (quale tempore caritatis annonæ vix reperitur) nulla peregrina labe infici. Quòmodo enim in corpore est morbus, ægrotatio, ac vitium, sic & in animo. In quem sensum Plato Aphorismum illum Hippocratis: *Impura corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes:* qui ad coinquinata corpora spectat, de animis obliquis, transuersis, seu iam antè maculatis prudenter efferebat, quemadmodum hoc in casu Galenus ad humorum corporis fœditatem respiciens annotat, quòd in Pestilentia quadam sui temporis, cui interfuit, nec ab ea aufugit, hi omnes euadebant, qui antea fuerũt optimè perpurgati. Vbi enim viget, seu stabulatur impuritas, ibi promptè admodum putredo concipitur, ideoq; cacochymi præ omnibus putredini etiam aeris patent, propter analogiam, ne sileam quòd putredo ipsa humorum aliquando vsque adeò crescit, vt per se sola Pestem excitet suis assessoribus comitatam. Quare & Medici grauissimi licet naturã morbi huius

in

in merè venenata cordis labe collocent, quam propterea solis antidotis oppugnari debere existimant, nihilominùs non prohibent placidorum medicamentorum vsum, quibus vel copia succorum abscindatur, vel æstus febrilis temperetur, putredo inhibeatur, fuligines excludantur, & infarctu viscera liberentur. Quæ si tempore Pestis præsentis, quo necessariò cor enerue ac debile admodum est, non inutilia iudicantur, quantò magis ex vsu erunt præseruationis tempore? Quapropter experti huius ac decantati beneficij, ab expiatione scilicet vniuersæ corporis colluuiei, suspicione contagij vigente, promanantis participes etiam fiunt qui exactam victus rationem seruant, euchymis, pepticisq. semper vtentes cibarijs, contraria verò longè à suis mensis ablegantes, nec non antidotis quibusdam sese velut clypeo armantes ac munientes. Quæ cuncta non meliùs præstantur quàm illis quatuor à Galeno propositis, nimirùm; *Assumendis, Admouendis, Educendis, Faciendis:* quibus sex non naturales res appellatæ continentur, & adhùc plures. Ad assumenda enim spectant aer inspiratus, cibus, potus, & medicamenta. Inter admouenda sunt ambiens aer, vestes, stragula, & exteriùs adhibita pharmaca, balnea, vnctiones, epithemata, & huius census alia. De numero educendorum sunt excrementa primæ, secundæ, ac tertiæ coctionis, sunt plethora, & cacochymia, quibus competit inanitio, inter quæ Venus recensetur, quam tamen etiam non desunt qui referre malunt ad facienda, quæ sunt motus, & quies, frictio, somnus, vigilia, atque animi pathemata; Vndenam ergò incohandum in Præseruatione quam optas, Excellentissime Domine? Post preces Deo, & Sanctis eius Aduocatis nostris humiliter actas, quibus iram diuinam mitiorem, nostra autem auxilia diuinitus & ipsa herbis, gemmis, alijsq. tot rebus infusa præstantioris

Gal. 1. de san. tuen. circà finem, quatuor proponit, diligenter hoc in loco percurrẽda, quibus sex res non naturales dictæ continentur. Assumenda, Admouenda, Educenda, Facienda.

 ener-

energiæ reddamus;(nam qui solùm se diuinæ committunt prouidentiæ,humana respuentes remedia, ex D.Thomæ decreto lethale perpetrant crimen,quoniā hoc est Deum tentare,& sui ipsorum homicidas esse, cum causas secundas spernant, quæ concurrentibus primis sanitatem præstare valēt,qua de re ego alibi fusiùs) ab Aere sanè est exordiendum,tum quia primus in ordine sex rerum non naturalium,tum quia ille est,sine quo nec sanitas teneri,nec morbus tolli potest, præsertim cùm de pestilentibus contagiosis malis agitur, quorum primaria & procatarctica labes ab eo manare, si non omnis, saltem potentior & proximior vt plurimum solet, quippè qui aer licet non vniuersè, dubio tamen procul peculiariter, & speciatim vel in sui substantia contaminatus(cum Astrologis ac Fernelianis,ab altiori sublimioriue principio humanum fastigium excedente,cum Galenicis verò ab inferioribus causis patentioribus è terra,& aqua enatis)vel secūdùm qualitates, aut temperiem magnoperè immutatus quacunque in Peste & Contagione adesse debere videtur, à quo propterea data corporibus impuris parùmq.benè affectis occasione,mox eadem venenatos morbos incurrunt;demùm verò etiam, quia Excellentia Tua de nulla re alia magis anxia & solicita primum quod attulit enucleādum à Medicis, de loco & aere fuit, vbi tutiùs degere, & faciliùs præseruari cum Nobilissima Familia posset, quando ab Vrbe discedendi, & alicubi morandi Aestate, & Autumno proximis, firma iam & stabilita est voluntas, quam equidem ego summoperè commendo multis de causis & rationibus, quas nunc recensere supersedeo, ne sim prolixior,atque alijs etiam nominibus; quædam tamen ex illis iamdudum monumentis traditæ habentur apud Alexandrum Petronium,& apud Cardanum; Quibus fortassè olim permoti Medici Romani suasere Commodo Impera-

De Morb.Capit lib. 5. de Epilep. Lect. 11 & in Prouid. Method. cap. 1.

De [illegible]e eligendo idoneo pro Excellentissimo hoc Principe, & alijs.

Alex. Petron. de Vic.Rom. l.1. c.1. & 2. Cardan. cùm alibi,tum lib. 2. de Venen. c.10.

peratori, ingruente Pestilentia, vt Laurentum secederet, quòd frigida illa esset regio, & nemoribus obsita. Erat autem Laurentum, Ciuitas Latij, non procul à Lauinio *: ita dicta à sylua laurea, qua excisa ædificata est, vt ex Varrone colligitur: Vel à lauro ibi primùm inuenta, dum Picus eam conderet, vt alijs magis placet. Hùc mittebantur, aut spontè ibant ex Vrbe quicunque bonam valetudinem integram à nimijs æstibus seruare, sicut iam collapsam sarcire volebant; Patet hoc ex Epistola Symmachi quam filio scribit, in qua ait, quòd si eum superbum Tybur expleuit, Laurentibus Syluis amœna commutet. De qua re idem Scriptor alibi etiam loquitur. Quæ faciunt vt tantò magis credam locum, quò, Medicorum consilio, inchoante Peste, profectus est Commodus Imperator, Laurentum fuisse extrà Vrbem ad Lauinium, non Lauretum, vt ferè omnes annotant Medici; qui locus erat in Vrbe sylua lauri conspicuus, de quo ita Plinius. *Durat & in Vrbe nomen impositum loco, quando Lauretum in Auentino vocatur, vbi sylua lauri fuit*. Hodie inter alia Vrbi vicina loca, in collibus, & montibus sita floridissimis, vbi varia stant sublimia regiaq. ædificia, in quibus, suspicione morbi inualescente (nisi nimia Vrbi vicinitas obijciatur) vita, vt puto, salubriter traduci posset, recensendus est ager Tusculanus, ætate nostra valdè magis nobilitatus, quàm olim Eloquentiæ parentis habitatione, cùm alijs, vti magnificentissimo Palatio In Montedracone Excellentissimæ Burghesianæ Familiæ, tum præcipuè Villa Aldobrandina, quæ paulò suprà Tusculum, inter cæteras, quasi Leucothea matutino tempore, ita emicat, atque resplendet, vt, vel sub assiduitate videndi, semper sit admirabilis quemadmodum de Traiani Foro dicebat Cassiodorus. Hìc Palatio à tergo supereminet mons altissimus, media tamen interiecta area, theatri in speciem ædificata, vndique

* Hodie Excellentissimæ Domus Cæsarinorum.
Varro lib. 4. de ling. lat.
Symmac. lib. 7. ep. 15.
Et lib. 4. ep. 44.
Plin. lib. 15. cap. vlt.
Mōtisdraconis Ædificiū. Villæ Aldobrandinæ, in agro Tusculano, delineatio, & laus.
Nepe; Traiani Forum vel sub assiduitate videre miraculum est.
Cass. Var. lib. 7. ep. 6.

que viridarijs, fontibusq. aquarum purissimarum, & perennium circumornata;qui mons acuminatus,olimq.valde accliuis & præruptus, nunc mirifica suffragante industria, magnaq. impensa, non solùm scansilis, & plani, patuliq. redditus est accessus,sed ab imo etiam tam recta linea, quàm vtrinque è lateribus vsque ad apicem (in quo ædificiolum in area situm est cum viridarijs, fontibusq. periucundis, Ruffinellam vocitant; vbi nemora, & syluæ vitandis æstibus propugnaculo sunt, & aucupandis ficedulis, turdis, merulis, atque perdicibus, perquam idoneæ virescunt) totus sylua viridicata oleis, pinis, vineis, castaneis,fraxinis, procerisq. ilicibus amœnissimus apparet.E quo præterea longo intus itinere cauato aquæ prorumpunt sub delectatione limpidissimæ,vt nunquam,pluuiarum nimietate, terrena commixtione violentur, sed aerem perpetuò serenum purissimè labentes vndæ illæ mentiantur, & facilè meabiles experiantur ab omnibus, quippè earum primitiua scaturigo ab Orientali, & Australi regione emanat, iugi, concitatoq. cursu insitam naturam conseruantes.Quæ aquæ,vix ab antro mõtis emergẽtes,in ductus,seu canaliculos lapideos primò excipiuntur, & in plures deinceps breui intercapedine interiectos fontes pulcherrimos cum delectabili sonitu cadẽtes, tandẽ per adhùc ampliores,politioresq. canales marmoreos affabrè sculptos, & hinc inde platanis, cupessis, lauris,iuniperis,alijsq. virescentibus,ac suaueolentibus arboribus circumuallatos, in prægrandes, & visu admodum iucundos fontes, simulachris è marmore insignioribus perornatos, ab alto cacumine, quasi imam vallem irrigaturæ, magno sed suaui fragore strepituue decidunt,ante faciem Palatij in amplo theatro; In quorum fontium alueis absens vix credat earumdem aquarum tot oblectabiles motus diuersos, lusus, gyros, & modulatos, canorosq. sonos,

nos,

nos, ex manu cuſtodis, repentè cerni, atque ſentiri; qua-
rum etiam inde ingens copia τεχνικῶς multùm in ſublime
ſcandit, ad altiorem loci illius regionem, vnde partim ni-
ueæ inſtar ſpumæ per aera longè latèq. ſparguntur, par-
tim velut in imbres grandinoſos commutatæ in eoſdem
fontes crepitando recidunt, ſonitu ei conſimili qui inter-
dum è magna Adriani Mole ſeu ex ollulis, ſeu è quibuſ-
dam alijs pyrio puluere infarctis, & incenſis emittitur, ac
exploditur. Cuius quidem theatri, hemicycli in formam
ædificati, pars, meridiem verſus, includit Muſarum voca-
tum domicilium, alioqui ventorum ſpecus, in quo præ
alijs, quæ ibi omnes trahunt in admirationem, monticulus
ex arte æternùm vireſcens protuberat, cui fictitiæ nym-
phæ, muſæ, paſtoresq. inſident cum organis, ſeu inſtru-
mentis muſicis varijs, à quibus validi venti è copioſis
aquis ſubter, ac circiter labentibus elati, ſed miro artifi-
cio intercluſi, & ad libitum relaxati impulſu, harmonicus
concẽtus aſtantibus multùm delectabilis editur. Ab area
autem dicta ſubterraneis cuniculis excurrentes aquæ ad
anticam ædificij partem, qua Roma, & vniuerſi ferè agri
Romani planities oculis occurrunt, vbi altera oblonga,
& ſpacioſa ſtrata eſt platea, cui ampliſſimum viretum, ſeu
pomarium fructuum multi generis, & horæorum in pri-
mis feraciſſimum ſubiacet; & inde rurſus prorumpentes
alios magnos fontes, & fonticulorum è lapidea materia
multiformium in celebrium viarum muris miro ordine
digeſtorum infinitum fermè numerum procreant, è qui-
bus omnibus, & ſingulis niuei prorſus tum colore tum
guſtu flocci non modò oculis, ſed multò etiam magis ori
gutturiq. ſitientibus grata collutione recreandis aptiſſi-
mi ſaliendo exiliunt. Hic aer tenuis, ac purus, præſertim
ſi Romano comparetur, nec non ſubalgidus, & licet aſpe-
ctus eius ad Occidentem vergat, attamen à Septentrio-
nali

nali plaga, vnde venti ſpirant ſaluberrimi, auerſus non eſt. Ibi ergò æſtiuo tempore ædificij habitationes, è quibus oblectabile theatrum, fontes ampliſſimi, & mons viridiſſimus aſpiciuntur, ad excludendam caloris diurni flagrantiam, & vnà ad animum ſummoperè exhilarandum accommodatiſſimæ sũt. Ne ſileam quòd in Aeolio antro, Sole medio, & arido, ac flagranti, vel furente Canicula, aer gelidus per trachæam, & pulmonem attrahitur, & in cordis æſtuãtis flabellum vtiliſſimè inditur. In oculis præter hæc ſunt Tyrrhenum mare, & candentia nauium in alto nauigantium vela, his quoque, qui non adeò acutè cernunt; documento quippè mei eſſe poſſunt vel à perſpicillis expediti; quid ſi organum ab intimo cryſtallinum Galilæi inſignis doctrinæ viri induſtria nobilitatũ, alteri oculorum, inter pupillam & obiectas naues, recto ductu admoueatur? Singulorum ſanè tunc nauigantium æquor quaſi præſentia perfrui vnuſquiſque ſibi videtur, corpora nautarum, ac eorumdem motus celeres, & geſtus varios, velut è propinquo exactiſſimè proſpiciens atque diſcernens; vnde ſi viſus acumen materialior auditus idoneo & ipſe adiutus inſtrumento æmulari valeret, ipſorum quoque remigum celeuſma percipi poſſet, ac audiri. Proinde hæc pariter voluptas in Tuſculano rure degentibus ſuppetit; ne taceam, ſint licet plures hominum ſententiæ, quæ maritimis montana poſtponant, Symmachum tamen vitandis æſtibus magis iudicare nemoroſa, quàm cultu aperta congruere. Hìc vinum patrio in ſolo genitum tale penitus eſt, quale Medici in hac præcautione concelebrant; non dulce, non craſſum, non vinoſum, ſed ſubacidulum, ſubauſterumue, tenue, oligophoron, & odòrum, in gelidis conditum ſpeluncis, cui ſi maiorem adhùc frigiditatem addere quiſpiam velit, præſto adſunt alti putei conglaciata niue exundantes. Hinc denique non longè diſtans,

Symmac. lib. 7. ep. 35.

stans,& subter oculos eminens est,in grandi & amplo spatio terræ planæ, qua Romam itur, Diuersorium mediæ viæ nuncupatum,quinto ab Vrbe lapide,Excellentissimæ Domus Aldobrandinæ, vbi præter virescentia prata, in quibus ad fructum colligendum,falce dumtaxat opus est, vt inquit Vlpianus, campus etiam tritici, & variarum segetum feracissimus luxuriat, venantibus quoque aptissimus, in quo hortus magnus, muris altis circumseptus, & fossis,ita vt non solùm pecori,sed nec homini transitus sit; intrà quem pomaria, viuaria, piscinæue, & aucupia cum amœnis fontibus cluduntur. quo in loco media,ac teterrima Hyeme, & dùm venti spirant gelidissimi, tamquam Ver placidum, ac salubre viget, vt Boreæ penetrabile frigus cæli soliq. illius temperie castigatum, quasi genitalis aura Fauoni, vt Lucretius ait, aut, cum Statio, qualis Aquilo Zephyris refractus flare videatur.cuius propterea loci habitatio per id anni tempus à me commẽdatur perinde ac Tusculanæ Villæ alijs temporibus. Hac itaq.in re, ni me fallit memoria, vnanimiter assertum fuit,vt ad Oppidum præ alijs quæ Tuo reguntur nutu,quibusue dominaris, Carbonianum appellatum contendas, vbi Romano è diametro contrarius aer purus, tenuis, frigidus, locus planus quidem,sed sublimis, apricus,à lacubus, & stagnantibus aquis longè semotus, quò nec peregrini, nec vicinorum locorum inquilini,Te renuente,accedere possunt. Vbi arx, & ædificium perstat ac eminet, ad Orientalem sanè plagam vergens, sed ab aspectu Septentrionali neutiquam auersum,vt spiraculis regionis illius flagrantiam Aestatis excludere facilè possis, & tam Solis aerem depurantis, nubesq. & caligines absumentis, quàm venti saluberrimi atomos & miasmata per aerem volitantia, (à quibus putrefactionis & inquinamẽti occasionem frequenter nanciscitur) scopæ instar verrentis, quemadmodum

Diuersorij mediæ viæ nũcupati, Excellentissimæ Domus Aldobrandinæ, habitatio quo tempore ab Auctore commendetur.

Vlpian. de Verbor.sign.

Lucr. ab initio lib. 1. de Nat.

Stat. in Sylu. lib.4.ad Sept. Seuerum.

Carboniani Oppidi aeris salubritas.

Situs.

dum

dum æstus eius, Canicula furente, nos suffocantes flabelli more ventilantis, ac, dum spirat, insito algore temperãtis beneficio atque virtute ibidem frui vtilissimè queas.

Hospitium Patrum ac Sacerdotũ Oratorij Romani circa idem Oppidum fabrefactum saluberrimi aeris est.

Corroboratur non parùm de Tui huius Oppidi aeris salubritate recepta opinio, quòd limatæ probitatis Patres, & Sacerdotes Oratorij Romani hospitium, vel diuersorium quoddam iuxtà illud habent, quò mensibus æstiuis aliquanti ex illis, post labores in profundis Sacrarum Literarum studijs, in quotidianis concionibus, & in iugiter audiendis pœnitentium confessionibus, alijsq. sanctis curis ad animarum salutem attinentibus exantlatos, proficisci consueuerunt, vt reficiant corporis vires, exhilarentq. nimis defatigatos animos; quod sanè ijs feliciter & ex voto succedit; imò si qui ægroti, aut valetudinarij apud illos Romæ sanitatem, ac pristinum robur seriùs, quàm consuetum sit, adipiscuntur, ad cælum illud missi, non adeò post reualescunt, & solidiorem partium corporis præ languore velut dehiscentium, ac titubantium compagem induti, molestis longæ ægritudinis reliquijs depulsis, in Vrbem salubriores reuertũtur. Nec Te debet ab hac sententia dimouere, vt nec quisquam debet me inconstantiæ nota sugillare, quòd in præcitato Opusculo laudem vnà cum Heurnio aduersus Mercurialem, aliosq. recentiores, opinionem Auicennæ existimantis ad aerem crassum, solumq. humidum, & frigidum confugiendum esse, cuiusmodi non est Carboniani cælum, quo vt Te recipias consulimus, quoniam Auicenna intelligit de fugiendo aere iam polluto, ac fœdato, deq. mutatione facienda tempore Pestis aereæ præsentis; at nos hodie aliam timemus Pestilentiæ speciem, quæ per contactum vi fomitis in varijs mercibus, vestimentis, & rebus tot alijs. quæ ab infectis locis importantur, demersi, conuersantibus ac tangentibus communicatur, quo sanè in casu salubrior habendus

Respondetur obiectioni quæ fieri ab aliquo posset ex Auicenna, qui laudat mutationem ad aerem crassum, & solum humidũ, ac frigidum.

est aer ille, qui suapte natura sit qualis nuper descriptus Tui Oppidi, quàm oppositus, cui locus solùm datur in aerea contaminatione actu vagante, ne tam latè ac promptè pateat aditus veneno ab alienigeno cælo infecto expiranti. Illo siquidem aere spiritus corporis, potissimùm verò cerebri, & cordis, maximoperè oblectantur, citissimè reparantur, ac identidem vegetantur ad validiùs obsistendum cuilibet noxiæ, & morbificæ causæ tam ab aere, quàm aliunde mananti. Quam nihilominùs vtilitatem, constitutione pestilẽti præsente, non adeò curamus, quoniam dissuadet, imò deterret nos timor non absque ratione conceptus, ne proximo aeri contaminato iter sternatur, & via patentior fiat, cui pro obice aliquandiù contraponere densum & crassum cælum, humidum, ac frigidum solum non insalubre puto; Intereà tamen temporis à nocumentis, diutiùs ibi morandum si sit, corpus exactissima victus norma, alijsq. præsidijs tutandum esse contendens. Nunc autem, vt nosti, suspicio tantùm & quædam velut vmbra grassaturi mali Romanorum animos cruciat, & obtenebrat, quippè si è propinquiori situ vim suam & arma ostenderet atque vibraret, fuga forsitan ab hac regione interualli longè distantioris necessaria foret, imitatione Galeni, qui, vt ipsemet affirmat, cùm tribus annis Romæ fuisset versatus, ingruente Peste, confestim Vrbe excedens in patriam properauit, completo iam septimo & trigesimo ætatis anno. Quam Galeni fugam agnoscunt Cardinalis Baronius, & Zuingerus, & de qua ego fusius alibi. Interim verò etiam mens est Marsilij Ficini, vt securiores à contagione viuamus, inter locum contaminatum & alterum, ad quem nos recipimus, confugimusq., medios interiacere ac stare opus esse altos colles, & arduos atque præruptos montes, qui, quasi manu valida interposita, venenatorum vaporum fluxum, impetumq. re-

Gal. fuga ab Vrbe, ingruẽte Peste, verissima fuit.

Gal. lib. de Lib. propr. c. 1. & 2.

Baron. Annal. vol. 3. & Zuinger. vol. 8. sui Theatri lib. 3.

Marsil. Ficin. loco citato

primant, ac retardent. In vniuersum à Medicis commendatur ille aer, qui è diametro sit qualitatibus oppositus ei, à quo morbus primariò emanat. Intereà verò secessio ad Oppidum dictum sufficiens, me iudice, erit, si procul inde ablegentur aduenæ & proterminentur hospites, dixissem veriùs, hostes, imò cunctis, quoad fieri potest, ingressu, & commeatu interdictis: Præstat siquidem solitariam agere vitam, quàm hominum frequentia vti, non tamen melancholicorum in morem, & noui quasi Bellerophontis instar, apud Galenum ex Homero percelebris:

Bellerophontis melancholici vita ex Hom. & Gal.

Qui miser in campis mærens errabat aleis
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Phantasiæ imperium in spiritus & humores.

ne magna tristitia, turbataq. phantasia mẽtem acriùs percellat, indeq. spiritus & humores, in quos illa euidentissimum possidet imperium, quoquouersum, & quomodolibet impellantur, & agitentur, præsertim in pestifera Lue cauenda, quam, si non è longinquo vagetur, fixa, profundaq. mœstarum rerum, vt Pestis ipsius occasione defunctorum cogitatio, accersere posse creditur, sed alacriter, & honestè, paucorum probæ vitæ domesticorum iucunda consuetudine, aut conuersatione adhibita.

Quæ cautio adhibenda si Austrina constitutio per Romanum clima totum vagetur.

Quoniam autem solet non rarò Austrina constitutio Aestate imprimis & Autumno per vniuersum hoc Romanum clima vigere, & latè agi, in qua corpora, præsertim quæ esu fructuum, largioriq. potu, in venis collecta humiditate superflua scatent, ad putredinem magnam, altam, sordidam, sæpiùsq. pepasmi expertem, & ex ea ad febres putridas, imò pestilentes absque vllo etiam contagionis metu facillimè disponuntur, (vnde quotannis ferè huiusmodi prauæ, & deleteriæ febres ad finem Aestatis & Autumno toto cùm intrà Vrbem, tum frequentiùs extrà nascuntur, in suburbanis dico diuersorijs in planitie positis, vbi statio, vel mora etiam momentanea infidissima est, nisi

Mora in locis Romæ vicinis in planitie sitis quando vel tuta, vel infida est.

diu-

diutina antecesserit Borealis constitutio, vigeatq́. etiamnum, salutifero illo, & scopario vento validè circumspirante) laudo quantum possum, ne, tam mala visa tempestate, domo aut Palatio exeas, nec in aperto aere verseris, sed omnino intrà familiares muros Te, Tuosq́. contineas, clausis pariter fenestris, vt omnis morbifico aeri prohibeatur ingressus; ita namq́. dicebat Hippocrates, Mulieres domibus exeuntes magis laborasse catarrhis illis vagantibus, minùs verò quæ non exibant, sed intrà proprias domos se continebant. Verumtamen quia conclusus aer, & non difflatus facilè admodum si non corrumpitur, saltem ab ingenita crasi ad alienam permutatur, nec non quia eiusdem nos vndicunque ambientis vitia nòn sentire impossibile est, respirationis, ac transpirationis necessitate, idcircò consulo, vt in eo depurando, & ab omni illuuie expiando haud infima cura ponatur. Sed quinam erit modus? Ille prorsus quem diffusè noto in Libello edito. At curandum inter cætera est ab Excellentia Tua, vt vici, & plateæ omnes Oppidi à fimo, sterquilinijs, & maximè sucerdis accuratissimè expurgentur; ante scilicet quàm ad illud omnes contendatis, ne halitus tetros, & graueolentes vapores ab huiusmodi rebus putridis commotis expirantes præsentes inspiretis, veluti si quæ ibi sunt viciniores cloacæ, fac, vt expeditæ liberrimè fluant. Præterea domus habitationis omni penitus fœtore careat & ab ea procul absit locus, vbi cannabis præparatur, liberaq́. in summa sit ab omnibus sordibus, & quauis spurcitia, cum vel sola parietum mundatio ab araneis, & consimilibus de ijs esse feratur, quæ Pestem prohibent. Qua in re nescio an hodie inuigilent Italiæ populi significati, apud quos hactenus viguit, & etiamnum viget, tametsi apud multos remissior, ferinus ac subdolus morbus. Ita siquidem viuerent ab omni recidiuatione, aut repullulatione securio-

Hipp. 6. Epid. t. 7.

De expiatione Palatij, & loci habitationis.

Cautio hæc ad loca pertinet, in quibus malum fuit, aut est.

res. Quæ etenim hoc in mali genere relinquuntur, non humores dico in venis, sed stragula, vestimenta, & maximè pellicea, culcitræ, chordæ, araneæ telæ in muris, in quibus omnibus non solùm contactus periculosus est, sed diù etiam conseruatur fomes proprius, & verus seminariorum contagij, renouationis mali sæpè truculentioris quàm antea occasio potissima, & euidentissima sunt. Audi obsecro, seu attentè lege quæ subnectuntur ex grauissimis nostri sæculi auctoribus. Petrus Forestus, *Proditum est*, inquit, *anno* 1511. *cum per Germanos Verona teneretur, exorta Peste, qua hominum ferè decem millia periere, ex vna veste pellicea non pauciores, quàm quinque, & viginti Teutones obiisse; Vno defuncto, alius induebat eam vestem, donec monefacti ex tot defunctis, vestem combussere. Ipse quoque*, subiungit, *memini, septem pueros extrà murum Alcmariæ ex Peste obiisse, cum mater vestimenta ex Zelandia attulisset cuiusdam hæredis ex Peste mortui, quæ soli exposuerat, pueris in illis vestibus colludentibus, è quibus Pestis oborta est; quæ omnes interfecit: ita virus latitare potest ad aliquot menses*. Ibidem narrat Pestis contagium ab aranea tela contractum, quæ tela suprà manum cuiusdam scrinium dimouentis ceciderat; vnde pustula pestifera suborta est. In eadem verò domo, ante sex menses, nonnulli Peste obierant. Præterea Alexander Benedictus refert se à genitore audiuisse, quòd in Veneta Vrbe culcitra Pestilentiæ tempore suspecta, & in interiores domus partes cuiusdam Patricij eiecta, cum septennium integrum Pestis seminarium fouisset, excussa postmodum, pestilentiam denuò excitauit. Postremò Trincauellius scribit, Iustinopoli chordas, quibus Peste mortuorum cadauera sepulchris inferebantur, suprà triginta annos delitescentes, tandem inuentas, & contrectatas Pestis contagium intulisse, quo decem millia hominum

Historiæ demonstrantes diram Luem per contagio sum fomitem agi, & vagari. Petr. Forest. Schol. ad obser. 22. lib. 6. de Febr.

Alex. Bened. lib. de Peste cap. 3.

Trincauel. lib. 3. Consl. 17.

num extincta sunt. Ex his, quod obiter notatum velim, quinam luce meridiana clariorem esse non videt Fracastorij, & aliorum primæ Classis Medicorum neotericorum, de Contagio per fomitem doctrinam sensu ipso corroboratam? Nam & hodie in multis Insubriæ, sicut Hetruriæ Oppidis, & Vrbibus obseruatum, & calamitosè expertum est, mortiferam contagionem per medium fomitem varijs in rebus sepultum, & cominùs & eminùs circumferri, vt verissimum credam quod refert Appianus Alexandrinus, Celtas, superatis Illyricis, ipsorum rebus potitos Peste infectos fuisse, & Boccacius de duobus Porcis ex fomite panni cuiusdam in via corrupti extinctis, de quibus etiam Sufius. Verùm ad nos, quippè de tribus Contagij speciebus vocatis per tactum, per fomitem, & ad distans, opportuniori loco ipse etiam perago, opinione minimè admissa eorum, qui Hippocrati & alijs antiquis Medicinæ Scriptoribus Contagium fuisse incognitum asseuerant, vt nec aliorum quorundam Philosophorum, qui cum nec ad accidens, nec ad substantiam redigi contagio possit, de illorum scilicet mente, perperàm quid fictum & imaginarium esse vel scriptis mandare non dubitarunt, quos etiam hodierna Lues tot nostræ Italiæ Vrbes spectatissimas vectore contagio fomitis deuastans manifestè redarguit. At hi fortasè non Contagium negant, quia sensum negarent, sed eius potiùs contaminandi modum, & causam, quæ intrà abdita & occulta ambo latitāt. Procul itaq. (huiusmodi subtilioris contemplationis nunc omissis) à Palatio & habitationis Tuæ loco sint latrinæ, cœmeteria, lociq. fœtentes, vt exteriùs quoque, non solùm intùs mundior habeatur; quam quidem spaciosam esse audio, & valdè probo, vt omnes possitis subinde mutare cubicula & singulorum aerem identidem corrigere, æstiuis præsertim proximis diebus, quibus nempè eorumdem

Fracast. in loco citato.

Appian. Alex. in Bello Illyrico.

Boccac. in Descript. Pestis.

Sufius de Peste Mant. cap. 15.

Cubiculorū frequens mutatio laudatur, & eorūdem amplitudo.

dem aer promptè æstuare ac igneum calorem spiritibus, & efferuescentibus humoribus biliosis infundere solet, à qua similiter causa interdum & Pestis, & pestilentes febres, aut verè tales, vt sunt hodie per infecta loca excurrentes, aut quales præteriti Conclauij, & quas paulò antè significaui, producuntur, vel iam ortæ, & productę multò magis adaugentur & in immensum crescunt, vt contigit olim in celebratissima illa toties à me nominata Atheniensium funesta Epidemia ex militum multitudine intrà angusta tuguria, exilesq. casulas introducta, Periclis belli Ducis opera, vbi præ nimis æstuoso & suffocante aeris calore, vaganteq; contagio, fermè omnes turmatim moriebantur; Thucydide, Lucretio, & Plutarcho auctoribus.

Atheniēsium Pestis vnde ingeminata, si non genita.

Thucydid. & Lucret. loco citato.

Plutarc. in vita Pericl.

Vnde etiam, vt ad primas redeam, legitur apud Hippocratem, quòd illius pestilentis status prophasis ab Aestate suffocatoria manauit, quoniam Etesiæ paruæ, & contractim spirabant. Nam cum Aestas natura perpetuò calida sit, si flatuum carentia accesserit, fiantq. dictæ aninemiæ, suffocatio de necessitate consequitur, quod quidem Galenus ait contingere vbi neque prodromi appellati flauerint, neque ipsos consequantur, quos Etesias vocant. Quare & hæc fuit vna ex præcipuis rationibus, quarum vi persuasus liberè asserere, & in mea edita Prouidentia notare non dubitaui anno præterito ad initium mensis Iulij Romanorum clima & maximè Vrbem immunem futuram à malignis, pestiferisq. febribus Aestate, & Autumno incolas eius molestare & afficere solitis, quanquam antegressi anni status, toto eius orbe, Austrinus prorsùs, nempè calidus, humidus, & mollis, nullo vllibi hæc circiter loca Aquilone spirante, perseuerauit vsque ad principium mensis Iunij; quo serena & præcalida Aestas incepit, sed cuius feruidi vapores, & æstus ab Etesijs, Fauonijs, & interdum ab Aquilonibus ipsis grata & benefica vice flantibus

Hipp. 3. Epid. ab initio.

Aninemię per Æstatem periculosæ.

Gal. in Com.

Cur Æstas præteriti anni Romæ fuit quã salubris, cum tamen antegressa tẽpora calida, humida, mollia, sine flatibus Aquilonijs, fuisse nemo sit qui ignoret.

bus temperabantur . Quod item si in futura ac proxima Aestate contigerit, cui dubium quæso erit, quin per id temporis eodem prorsùs salubritatis beneficio Regia & Sacerdotalis Ciuitas fruitura sit, summa Dei omnipotentis gratia, qua nouam hanc suam Sanctam Hierusalem tuetur ac protegit, iugiter aspirante ? Vbi prætereà nullæ desunt, aut desiderantur humanæ & piæ simul diligentiæ ad tantum hostem dolo nobis & fraude per contagiosum fomitem, quasi per tectos cuniculos, insidiantem remotissimè eliminandum, insigni studio, & mirifica vigilantia tum S.mi D. N. VRBANI VIII. tum Eminent.mi Nepotis Cardinalis Francisci Barberini.

Quomodo spes eadem haberi possit de futura ac imminente Æstate.

Vrbani Papæ VIII. & Eminentiss. Card. Nep. Francisci Barberini mirifica vigilantia.

Ne igitur aer Tuæ habitationis, & cubiculorum omnium Palatij morbidam labem, si aliunde aduehеretur, receptet, aut intrà se genitam arctiùs retineat, & intimiùs occludat, emendandus erit perfusionibus, & irrorationibus è rebus non solùm frigidis & siccis, sed vnà etiam suaueolentibus, ideòq. imperabis, vt cuiusq. intrà Palatium habitantis cubile semel in die cõspergatur oxycrato, hoc est, aqua & aceto insimul commixtis, quibus irrigandum est pauimentum, & lintea pariter in ijs madefacta parietibus appendenda, quod monitum magnò illi experimentatori Rhasi attribuitur. Cubilia verò Tua, Filiorum, atque Honestissimarum Mulierum irrorentur etiam aquis rosarum, aurantiorum, citriorum, oxalidis, violarum, nympheæ, aceto rosaceo, & consimilibus, quæ non modò siccant, iucundèq. spirant, sed etiam refrigerant, & non modicè conferunt, præsertim verò quoque ad extinguendum empyreuma ab accenso, vt mox dicam, igne relictum. Exemplum quæris compositi liquoris, cui indita sit trina hæc facultas, & quem possis in vsum adducere ? Ecce geminata formula à Medicis melioris notæ descripta. Rec. Aqu.rof. myrthi an. lib.j. Aceti vnc.vj. pul.iri-dis.

Aeris habitationis alteratio per quæ fieri debeat.

Duplex Compositio ad aerem particularem refrigerandum, siccandum, & odoroso vapore perfundendum.

dis odor.ſantal.an.drac.iij. caryophyll.drac.ij.m. ac leuiter bulliant.Item Rec.Aceti vini albi lib.viij.vini odorati, aquæ roſar.aut violar.an.lib.ij.ſantali albi,& rubri an.vnc. iij. ſant. citrini vnc.j.ſ. trochiſc.de camphora vnc. ſ. camphor. drac.ij.ſ.m. Vinum ponitur quamuis calidum,quoniam caliditas eius ab alijs rebus frigefactorijs retunditur, & emendatur, cuius vice verſa potentialis ſiccitas & ſuaueolentia mirum in modum iuuant, vt conſtat ex Luciani hiſtoria de Toxare Medico, qui Athenienſium Peſtilentiam quandam & ipſe ſanauit, ſparſim per vicos, & latas vias,atque plateas vino largè profuſo.Ad idem quin etiam valent plura odoramentorum genera, vti, ſi citria, aurantia, limones, mala roſea, appia, & citonia,ſicut violæ, aut violaria, roſæ folia; & flores nymphex, lactuca, frondes vitis, quercus, myrthi, citoneæ mali, ſalicis, & arundinum intrà cubilia conſeruentur,ac pauimento(ſubinde renouata, ne, dum areſcunt, prauum aliquem expirent odorem) ſternantur; Quæ ſimiliter muris appendi, & laquearibus ſuſpendi ſolent, vt totius thalami aer talium odoramentorum facultate, odòraue ſubſtantia circumfuſus, cùm ab æſtuante cæli vapore defendatur, tum ab alia quauis labe depuratus inſpirantibus ſeruetur innoxius. Quòd ſi in Oppido moram feceris, donec Hyems appareat, poſt finitum Autumnum (qui Romanò ſub cælo Pleiadum occaſum longè ſuperat,& excedit, ad Solſtitium ferè vſque hyemale pertingens, quod temporis ſpacium, cùm calidum perſeueret, mallim ego Aeſtatem extenſam dicere, quàm verè Autumnum, extrà quàm aliquis menſium appellationes, non qualitates, ac temperiem,ſecùs ac nos ſæpè admonet Galenus,obtrudat, quaſi morbi fiant ob hunc, vel illum menſem, & non potiùs ob hanc,aut illam temperiem) habenda profectò etiam erit, brumali algore incohante, ratio aliorum ſuffituum, vel odo-

Hiſtoria de Toxare Medico apud Lucianum.

Autumnus Romæ vt plurimum vſque ad hyemale Solſtitium ſub extenſæ Æſtatis ſpecie pertingit.

Suffitus odoroſi pro tēpore brumali.

odoramentorum, quæ tunc magis conuenire creduntur, è calidis rebus odoris concinnata, à me alibi diffusè scripta, inter quæ nunc repetendo libēter colloco myrrham, terebinthinam, styracem calamitam, crocum, lignum aloes, libanotidem, idest, rosmarinum, saluiam, rutam, melissam, satureiam, origanum, pulegium, calamenthum, laurum, absinthium, iuniperum, cupressum, pinum, piceam, & consimiles plantas, & herbas, floresq. è quibus ignes vel publicè, constitutione vigente pestilenti, vel intrà domos tantùm, ac thalamos, si sola adsit suspicio, ac vno præseruationis nomine, euidentissima cum vtilitate accenduntur, quam scimus olim Empedoclis, & Acronis Empiricæ Sectæ inuentoris suasione Agrigentinos, magni autem ac diuini Hippocratis præceptione Athenienses felici cum successu expertos fuisse, ac tali monitu Venetos, qui Francisco Foscaro Duce Pestilentia laborantes anno 1438. noctu ad purgandum aerem ignes passim ex odorata materia accendi iusserunt. Cuius ignei remedij sed vnà cum sulphure ad idem conuenientissimo reperio factam mentionem ab Homero, vnde fortassè Empedocles, Acro, & Hippocrates ipse illud didicerunt, vt mirer non parùm quomodo Plutarchus in eius lectione versatis simus, dum è multis eiusdem vatis in vnum collectis locis probat, illum etiam Medicum fuisse insignem, quippè qui non solùm partem vocatam theoricam, sed & therapeuticam, sub qua Diæta, Pharmacia, & Chirurgia comprehenduntur, optimè calleret, talem versum oscitanter omiserit, in quo Homerus se reuera Medicinæ practicæ gnarum, valdèq. peritum patefacit, nescio an ita clarè in locis alijs, quos idem Plutarchus annotat; Locus autem est, vbi Vlissem, post Procorum cædem, cautum facit, ne ex cadaueribus, & sanguine per totam domum diffuso, aer pestilentibus aut contagiosis inquinamentis conspur-

In Prouid. Method. edita.

Ignis accensio intrà, & extrà Palatiū.

Remediū ab Empedocle, & ab Acrone apud Agrigētinos, ab Hippoc. apud Athenienſ. & à Venetis in quadam Peste vsurpatū.

Primus inuentor, me iudice, Homerus fuit, artis medicæ peritus. Plutarchus in lib. de Homero.

Eiusdem oscitantia.

caretur, & ita Pestis fomes euaderet, ideòq. eum inducit ità loquentem;

Homeri locus Odiss. 22. in fine.

Οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος, οἶσε δὲ πῦρ ὄφρα θεειώσω μέγαρον.

idest,

Suffitus è sulphure pestilétis aeris medela sicut è puluere pyrio.

Porta sulphur anus malorum medelam, porta autem mihi ignem, vt sulphure purgem domum.

Pestis quomodo fugata ex Mizaldo, Lénio, & alijs.

Quare è Medicis sunt, qui Pestilentiæ tempore mandant puluerem pyrium flammari, quo aerem ędibus inclusum à cunctis liberari inquinamentis asseuerant. Quò spectat historia à Mizaldo, Lemnio, & alijs descripta de Peste fugata ex incenso puluere dicto, & per Bombardas vocatas violenter exploso, vt sonitu vehementissimo, fumantiq. odore sulphureo aeris contagium breui discussum fuerit. Neque est huius remedij noxa calorifica (nam vbiq. vera

Gal. sententia in lib. Meth.

Galeni assertio: *Nullum in tota arte reperiri auxilium, quod citrà aliquam noxam magnificè prosit*) adeò pertimescenda, etiam tempestate, seu constitutione calidiori, modò ea adijciatur cautio & diligentia, de qua in Libello sæpiùs adducto, quidquid in oppositum astruerint Villa-

Villanouani, & Raimundi opiniones cótrariæ alibi à me refelluntur.

nouanus, Raimundus, & alij. Igne siquidem nihil meliùs, nihil citiùs aeris putredinem castigat, vtpotè qui separando eterogenea, putredinis causas, nempè aeris miasmata, consumit. Vnde & feruente cælo confert, ratione seminum putridorum, ac pestilentium, quæ illius vi prorsùs absumuntur; quod beneficium valdè maius est, quàm nocumentum, quod à calore impertiri queat. Sereno autem cælo, & à salubribus ventis annotatis perflato, ignes omittantur. At si contagis suspicio inualesceret (quod Deus, cuius natura bonitas est, omninò auertat) tam publicè, quàm priuatè iubeas ad vesperam, ac noctu accendi ignes, non è quauis materia, sed odoriferis lignis præcipuè, vt cedro, iunipero, cupresso, lauro, myrtho, tamarice, folijs aurantiorum, citriorumq. vel eorumdem

cor-

corticibus arefactis, lauendula, thymo, calamento, & similibus, quo suffitus genere fit, vt aer tali prouidentia purior factus ab omnibus contrà mali iacula vtiliter inspiretur. Quippè cum aeris corrigẽdi duo extent scopi, & vnus quidem siccationem, alter verò suaueolentiam proponat, his simul coeuntibus, putredinẽ facilè inhiberi prudenter admonet Auicenna, nec desunt qui scribant castigari feliciter cauma illud, idest, igneam illam caliditatem, si illicò pòst pauimentum, ac parietes, aspersa posca, vt dictum est, refrigerentur, velut herbis, & frondibus plantarum frigefactorijs. Quinimò dico ad omne vitandum periculum, ne scilicet igneus ille vapor, dum accensus viget, patentiores reddat corporis meatus ad aëream labem introducendam, aut ne calidiores tum spiritus, tum humores inflammet, minimè abs re futurum, si nocte solùm id auxilij genus imperetur, & cui, dum celebratur, præter paucos ministros, nulli alij intersint; multò magis hoc seruando, dum intrà Palatium (in quo varia cubicula sunt, in quibus vicissim accendi ignis potest) hæc actio præstabitur, mora interim facta in ijs, intrà quæ nulla flamma, nullumue empyreuma. Nec audiendi vllo pacto sunt, (adeò magni momenti hæc res est, vt pro ea dilucidanda prolixitatis notam mihi inuri æquo animo feram) qui odoramenta suauia, vt moschi, ambræ, & aromatum improbant, autumantes venenum ad cor odoribus peruehi expeditiùs, ijsdemq́. foràs euocatis spiritibus natiuum calorem in cordis arce residẽtem valdè magis elanguescere, quasi suopte nutu aer qualiscunque rectà cor non petat, alliciente pulmone; Ne dicam, quòd eiusmodi opinio de tempore præseruationis minimè accipi debet, quo venenum aereum longè adhuc à nobis est, imò nec de eo, quo idem venenum actu corpora depascitur, vt mea est sententia, parcant cùm aliorum, tum Dodonæi manes, cui ace-

Qui Scopi in corrigendo aere.

Auicenna loco propr. Cautio habẽda in hoc genere remedij.

Digressio in eos qui suauia odoramẽta respuunt, ac damnant.

Dodonęi opinio ex parte laudata, & ex altera parte reiecta.

acetum solum,& ex aceto composita arrident,quę & ego maximoperè laudo, alijs quoque tamen minimè reiectis. Quare præstat,quod veneficæ qualitatis prauitatem corrigat,& quod iucunda vtilitate alterius detrimentũ compenset,obijcere atque opponere; quæ res intelligi præcipuè debet de contagione quidem præsenti, sed in cuius nihilominùs absentia gratum redolentia odorem amplectenda quoque sunt,quatenùs cordi,spiritibusq́.vitalibus robur afflant præsentaneum; nec ad extrinsecas partes ab intimo illo vitæ nostræ thesauro spiritus ipsi à suaueolentibus abducuntur, sed ibidem potiùs amplificantur, dissipabili eorum substantia reparata, congruo ex odoribus impertito nutricatu. Nam iucundis halitibus foueri spiritus, atque nutriri existimant Medici testimonio Hippocratis suffulti, nec non facta in diem obseruatione in Leipothymijs, Cardialgijs,& Syncope. Suauis etenim odor semper principalia membra oblectat, roboratq́. strenuissimè;contrà fœtor nauseam,& animi deliquium frequenter inducit. Ideò olfaciant quantumlibet cum Auerroe (qui Medicam disciplinam optimè calluit,& in ea plurima non ruditer scripsit, sed minimè exercuit) Hirci lotium fœtidissimum, & animal illud hanc ob causam intrà domos apud exteras quasdam nationes nutritum sæpiùs cõtrectent,ab eoq́. tetrum expirantem odorem identidem, perpetuòue inspirent quicunque alterius sunt opinionis, morem quoque laudãtes apud Sarmatas familiarem,magnam videlicet putrilaginem aduersus Pestem excitandi, passim occisis canibus,felibus,alijsq́. animalibus ad maximum inducendum fœtorem, putantes quòd, sicut exiguam flammam depascitur maior, ita minor pestilens putredo à maiori debilitetur,penitusq́.extinguatur,cum diuersissima ratio sit, quam abundè aperit emolumentum à gratis odoribus, & vice versa nocumentum à fœtoribus com-

Odores cum Medicis nutrire. Hipp. in lib. de Alim.

Auerrois opinio de olfaciendo lotio Hirci, & ipsomet Hirco improbatur.

Consuetudo apud Sarmatas familiaris damnatur,cui si experientia faueat, huic inhærendum, posthabitis rationibus.

communicari ſolitum viſceribus;imò ſanatio ipſa & curatio per contrarium; vnde ſolitus erat Hippocrates affectuum naturam venari. Si etenim odoribus ac rerum odoratarum incendio Peſtis curatur, ac præcauetur; ergò ex odore tetro & peſtilenti per odoratus inſtrumentum ſuſcipi poteſt. . Hinc T. Liuius in illa Peſte quam deſcribit, teſtatur ex colluuione miſtorum omnis generis animantium,odore inſolito Vrbanos fuiſſe contaminatos.

Liuius lib. 3.

Quare cum Ariſtotele concludendum, vnguentorum, florum, pratorumq́. ſuaues fragrantias non minùs ad ſanitatem, quàm ad voluptatem conducere. Quos præterea internos ſpiritus natura quantum poteſt exilire non patitur, ſed tanquam familiares, & cognatos fortiter, & mordicùs in ipſomet ſanguine, cuius tenuiſſima pars ſunt, retinet; quinimò ijs velut inſtrumentis vtitur ad vitiatos, venenatosq́. vapores longè & extrà arcendos, quos rebus odòris vegetati ſpiritus noſtrates, non aliter expellunt, ac malleus cuneum, aut ventus velum. Quam rem minimè intelligens Hieronymus Cardanus temerè, vt in alijs multis, Galenum carpit,quòd,vt idem Cardanus ait, dicere auſus ſit,vaporibus eſſe ſpiritus tenuiores, cum liberè vapores extrà ferantur, intùs manentibus ſpiritibus.

Ariſtot. apud Plutar. in Iſide, & Oſiride.

Natura ſpiritus fortiter intus retinet, ſed non vapores,qui dubio procul ſunt craſſiores ſpiritibus,in quare deceptus eſt Cardanus.

Cardanus vbi nam temerè Galenum carpit.

Verùm ne à re noſtra longiùs abſcedamus, illud ſanè minimè negandum,quòd quæ valdè acutum emittunt odorem, poſſunt quoquopacto nos lædere, tum ſpiritus magis diffundendo,diſſipandoq́. tum caput imprimis feriendo; & proinde his nunquam vtaris,Excellentiſſime Domine, vt nec Filij, nec Nepotes tenellæ etiamnum ætatis,neque Excellentiſſimæ Mulieres è defluxionibus è capite, & eiuſdem dolore ac grauitate aliquando infeſtari ſolitæ, tametſi frigus admodum vigeret, quantò minùs Aeſtate, Vere, & Autumno etiam? Clementiora ergò ſint, & quæ ſpiritus recreent, reficiant, modicèq́. incraſ-

Odoramenta acuta quibus non conueniunt.

ſent,

sent, & cogant, cuiusmodi suprà aliquot significata fuere, & alibi plura, è quibus verno hoc, & æstiuo tempore proximo eligas quod aquam recipit rosatam, camphoratam, santalis imbutam, naribus per repetitas vices admouendam. Poma odorata, pilæ foraminulentæ è lignis grati odoris confectæ, rebusq. varijs suaueolentibus repletæ, coronæ collo appendendæ, sapones ad abluendas manus, & faciem quotidie vsurpandi, linimenta cardiaca, dentifricia, & sacculi denique cordis regioni adhibendi, præter eos qui Arsenicum recipiunt, quos perpetuò detestor plusquàm Pestem, (quæ omnia & singula pro temporum, ætatum, ac temperamentorum diuersitate variè ac distinctè sunt præscribenda) in Prouidentia Methodica diuulgata non oscitanter describuntur, exceptis dentifricijs, de quibus iam iam pauca, in iterãda verò illius editione plura, pro quorum singulorum recta administratione Medici perquàm docti valetudinem totius Familiæ regere soliti Matthæi Parisij iudicium requiratur; Dum interim ego cogor addere nõnulla iàm editis aduersus sacculorum de Arsenico vsum, qui miror quàm maximè quomodo multos habeant celeberrimos viros fautores, & inter alios Capiuacium & Heurnium; quippè nulla conuenire possunt ratione, nec vnquam inter iuuantia alexiteria rectè connumerabuntur. Constat siquidem ex Auerroe alexiteria esse diuersorum generum, aliqua nempè sunt, quæ iuuant contraria qualitate, vt frigida in calidis, & calida in frigidis, alia sunt quæ iuuant attrahendo, exemplo carnis scorpionis, quæ vulneri proprio affricata relictum virus ab animali in se attrahit, & alia demùm sunt, quæ à tota sui substantia iuuant; quod iuuamen triplici modo præstant; nimirùm aut quoniam alterant, vt Galenus ait, ipsa venena, aut quia expellunt, aut quia corpus, & maximè cor ita præparant, & consolidant, vt cuiuscunque rei venenatæ resi-

Compositio odòra, & maximè conueniens.

Sacculos ex Arsenico Auctor plusquã Pestem detestatur.

Auerr. tum lib. de Ther. tùm 5. Coll. cap. 23.

Gal. lib. 5. de Simpl.

resistere valeant. Quare dico alexipharmaca tam primi, quàm secundi generis, seu vel secundùm qualitatem agentia, vel attrahentia, in præseruatione locum minimè habere, quia nondum in corpore, aut corde reperitur venenum pestilens; An ergò vsurpanda quæ tertij generis sunt, à tota substantia iuuare solita? Multò minùs, si tamen de alterantibus veneficam vim sermo accipiatur, quod talia aut ipsissima venena sint, aut saltem magnas in se contineant venenatas partes, vt si venena intùs non reperiant, in quæ agant, ipsa proculdubio venenent. E quibus, sicuti ex tot alijs alibi allatis & discussis vnusquisque intelliget quanta cum ratione damnentur sacculi è venenatis rebus (quomodolibet castigatis) parati atque confecti, si cordis regioni admoueantur, tempore præsertim quo sana adhùc sunt corpora, vt ab extrinseca Lue venenata præseruentur. Ad rem itaq. intermissam reuertens notatu dignum censeo quod sequitur: nimirùm, vt inspiratus aer purior à corde excipiatur, gingiuæ & dentes omni sorditie careant oportet, diligenter expurgati, oreq. sæpiùs abluto; ideò fricentur panno seu linteolo asperiusculo, aceto priùs scillino madefacto, mox sequenti puluere, qui gingiuas confirmat, dentes efficit candidiores, & vnà oris gratum conciliat odorem; Rec. Salis, coralli albi, & crystalli vstorum an. drac. ij. cortic. citri, iridis florent. mastiches an. drac. j. cyperi, & cinnamomi an. scr. ij. caryophyll. drac. ß. moschi gr. ij. Fiat puluis, qui, si sub formæ opiatæ quis malit dentifricium habere, melle rosato colato excipi poterit. De qua re infrà quoque post lactis esum. Hactenus de aere, habitationis loco, & varijs modis vtriusque corrigendi; nunc tempus & instituti ordinis ratio postulant, vt corpus tam Excellentiæ Tuæ, quàm cæterorum aduersus contagionem, antequam proximior accedat, fortiter muniatur (nam quæ tactu simpliciter

In Prou. Meth.

Cautio circà dentes.

Dentifricij descriptio.

citer ac fomite serpit, & ab infectis locis deportari solet, viatoribus, mercibus, & alijs ingressu intercluso, facillimè à Tuo Oppido, vtinam & ita à magna Vrbe, eliminabitur) Quod quidem præter alia, quæ sub diæta comprehenduntur, cibis potissimùm ac potibus ritè in etiamnum bene valentibus institutis fieri posse constat, si, vt Galenus ait, differentiæ morborum ex ambientis nos aeris temperamento fiunt propter vniuscuiusque naturam, & diætam, quam rectè valens seruat; in quibus tamen recensendis breuissimus ero, ne Consilium in volumen crescat, & ne, quòd alibi scripsi, denuò repetam.

Gal. 3. Epid. à princip.

In Diæta itaq. tria illa à Te, Tuisq. non negligenter attendi ac obseruari debent, quæ in pestilenti constitutione Medici omnibus, & singulis imperant, vt assequantur id quod Hippocrates admonet, cum ait: *Quæ sequentia morbos sanant, antegressa prohibent*. Primum est, vt calorem non reddat acriorem, quoniam scilicet, corpore impensiùs calente, non modò meatus eius infecto aeri ampliùs patent, sed etiam febris leuissima de causa, præsertim in pueris, adolescentibus, atque iuuenibus accenditur. Secundum, ne corpus suprà quàm deceat humectet, quòd, quæ humidiora sunt, facilè putreant. Tertium, ne plus solito inspirare cogat. Adaucta siquidem respirationis necessitas plurimùm propterea obest, quia non solùm multus æquè, ac parcior aer nequit à corde superari, vti cibus à vẽtriculo, sed etiam quod faciliùs tunc ipsemet aer contaminatus inuadat cor, quod nimirùm auidius in se rapit, & si postremus hic scopus locum in hac prouidentia non habet, cum nostri climatis aer prorsùs expers sit cuiuscũque occultæ, ac venenatæ labis; Ad quod respiciens Hippocrates tenuem commendat diætam, ne videlicet, vt idem ait, opus sit crebrò, multumq. respirare. Vbi insuper duo annotat in quouis rerum statu obseruanda, nempè

De Diæta quæ cibum potumq. respicit.

Hipp. dictum in Epid.

In eadem tria sunt obseruãda.

Hipp. 2. de Nat. humana tex. 10.

Duo alia in Diæta seruanda ex Hipp.

pè vt corporis vires non minuantur, & diætæ mutatio, si fortè necessaria iu dicetur, paulatim ac sensim fiat. Iuxtà quas intētiones perquàm multa ad cibum maximè & potum attinentia in toties adducto Libello perscripsi, quæ non sunt iterùm decantanda. Satis ergò erit, si dixero, variarum adipum scitamenta Tibi, Tuisq. esse cauenda, cum falsissimum sit quod apud Celsum affirmat Asclepiades ille, qui habitum contradictorium habebat, vt de eo Galenus ait; *Faciliùs concoqui cibos varios*. Eduntur quidem faciliùs cibi varij, sed, cùm plus iusto sumantur, cùmq. è diuersis constent tam primis, quàm secundis qualitatibus, seditionem in ventre pariunt, perinde ac populi diuersitas, & multitudo in Ciuitate, cruditatesq. efficiunt morborum parentes, siue ex boni, siue ex mali succi orian tur alimentis, cum dicat Lucretius:

Variæ adipes cauendæ & cur.

Asclepiadis opinio reijcitur quę refertur à Celso lib. 3. cap. 6.

Nec refert quicquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum didere possis
Artubus, & Stomachi humectum seruare tenorem.

Lucret. lib. 4. de Nat.

Proinde rectè scripsit Plinius: *Aceruatio saporum pestifera, & condimento perniciosior*. Repletiones itaq. tum simplicis & probi, tum multò magis variati, & praui cibi, intemperantiæq. & hinc oriri solitæ cruditates ipsæ fugiendæ penitùs sunt; sicut enim aptis cibis valetudo fessa recreatur, sic venenum est, quod incompetenter accipitur; vnde nimirùm pestilentes morbi non semel producuntur; id siquidem potissimùm à Peste corpus tuetur, si excrementorum expers sit, optimèq. perspirabile, vnde cacochymia obsessi faciliùs à pestifero morbo inuadūtur, quippè Pestis ob id quoque summum sibi ius in intemperantes vindicat; quod tamen ita accipi velim, vt etiam procul absint fames, & sitis. *Prauior*, nihilominùs, vt Quintilianus ait, *est omni fame sagina*. Rectissimè sanè illud Alphæi: *Ne quid nimis, nimis mihi placet*. Sicut & alterum Phocylidis:

Plin. lib. 3. c. 53.

Temperantiæ laus.

Quintiliani dictum.

Aliud Alphęi, & alterum Phocylidis.

dis: *Moderatè cibum potumq. ſumas,& loquaris. Modus omnium optimus: exceſſus autem vitioſus eſt.*

Qui corporis habitus denſus, an rarus periculoſior ſit.

Quod autem de corporis perſpiratu adieci, ſignificans corpus illud minus à Peſte corripi, quod, patentioris texturæ habitu ſortito, perſpirabile magis eſt, dubium & incertum cuipiam videbitur, quippè conſtat eos, qui denſiori habitu ſunt præditi, minùs à Peſte affici, idq́. tam ſi à circumfuſo aere morbi peſtiferi ſeminaria veniant, quàm ſi contactu, & fomite ſubrepant, quo propterea nomine ſenes, & melancholici tutiores eſſe creduntur; ratio autem id ſuadet, quia talia corpora non facilè venenum tranſpiratione admittunt, quomodo hodie, vbi graſſatur, promptè per arterias, & meatus labes fomite conſeruata in cor vſque contactu ab infectis rebus peruadit. Nam ſi forinſecus alimētum ab extrema ſuperficie ad intima peruenit, vt Hippocrates aſſerit, & carnes non à ventre tantùm, ſed ab externis quoque partibus trahunt, quòd corpus cum intrò, tum foràs ſpirabile ſit, vt idem quoque ſcribit, cur non eodem itinere, patuloq́. acceſſu venenatæ Lui à fomite expiranti per contactum in cor aditus patebit? Concedam facilè, adiuuante & attrahente natura, quæ familiaribus, & nutrientibus occurrit, iiſdemq́. gliſcit, alendi facultatem habentia hilariùs excipi, promptiùsq́. admitti, attamen cum venenatæ rei perquàm valida actiuitas ſit, hæc, etiam inuita, & reluctante natura, per cutis ſpiracula, arteriarum motu coadiuuante, in principalia vitæ membra penitiſſimè, velociſſimèq́. ſe ſe inſinuat. Quod ſanè poſſem comprobare exemplis & hiſtorijs, quæ dignis de cauſis alto ſilentio ſepeliri debent, ne mihi fortaſsè aliquis vitio verteret, quod multi Platoni, qui, dum mortem Socratis narrat, docet modum, quo vſi fuere Satellites, vt cicuta citò ſapientiſſimum Philoſophum interimeret. A qua nota liber non eſt Theophraſtus, cui pariter

Hipp. lib. de Alim.

Idem 6. Epid. Comm. 6. t. 1.

Plato in calce Phœdonis.

Plato, Theophraſtusq. in quo notati.

riter placuit docere quanam arte Chij populi cicutam ipsam ita pararent, vt breui homines interficeret. Negari tamen haudquaquam potest, quin id ipsum faciliùs eueniat ijs, quorum corporis habitus rarior est, in quibus tum venæ, tum arteriæ, & omnes cutis meatus patentiores sanè sunt, quàm in densis corporibus, quæ idcircò Pestem aliquando posse circumferre innoxiè, & nullo sui incommodo, creditum à multis est. Nihilotamencetiùs angustia meatuum, & corporis densitas, iuxtà Galeni mentem, hoc in loco ambo magnoperè suspecta habentur, quoniam pestilentes febres, diraq. illarum symptomata sæpissimè ἔμφραξιν, καὶ στέγνωσιν, idest, *obstructionem, & adstrictionem* consectantur. Vnde ego propterea, & in hoc Consilio, & alibi probo quammaximè corpus, quod meabile sit, eductis ab eo identidem excrementis varijs, & multiplici cùm cibo tum potu interdicto, nec non, tempore congruo, imperatis moderatis exercitijs & frictionibus, ne collectis succis, eorumq. putredini impendenti expiratio denegetur, cuius beneficio intima quæque, & extima à corruptionis labe immunia præseruantur. Siquidem nulla causa quantumuis effera, aut efficax, quicquam præstare posse creditur, nisi corpus ad patiendum inueniat antè dispositum atque paratum. Vniuersè cibi probi sint succi, facilis coctionis, & qui ægrè putrescant. Filij Tui, ac Nepotes Excellentissimi ab acribus, salitis, & pinguibus, velut ab aromatibus, mellitis, & vino imprimis generoso abstineant, quibus similiter Excellentia Tua cum Vxore nisi modicè non vtatur, & anni tempore, constitutioneue gelidiori. Vellem vt panis, quo nullum aliud edulium magis frequens nobis est, magisq. naturale, pararetur ex optimi quidem tritici & in agris vicinis collecti farina, sed zeæ (nos speltam dicimus) aut hordei, milijue portione etiam aliqua iniecta, vt minùs calefaciat, & magis exsiccet; ad

Corpus meabile Auctori magis probatur, & quomodo tale efficiatur.

Cibi conditiones in vniuersum.

Panis ex quot & quibus farinis confici debeat.

frigidum quippè, & siccum cuncta hìc vergant oportet; qui pariter optimè fermentatus,modicèq́. salitus esse debet,vt triticeæ farinæ lentorem, quo mediāte cæteris valentiùs sanè nutrit, at ægriùs conficitur, euincat, ac superet, & vnà putredini humorum exsiccatoria salis virtute obsistat, quod adhùc meliùs præstabit, si in Hyeme, Vere, & Autumno, vel anysi, vel fœniculi,vel etiam coriandrorum præparata semina farinæ adijciantur. Carnem comedetis vitulinam, veruecinam, hœdinam, ex hœdo tamen,qui nondum ruminauerit,lepusculorum;nam aliorum leporum grandiorum caro damnatur tanquam durioris substantiæ, & melancholicum succum progenerans apud Galenum, capreolorum, ceruarumq́ue, de quibus abundè in Prouidentia edita, perdicum, fasianorum, attagenarum, gallinarum rusticarum, capponum, gallinarum domesticarum iuuenum, quæ oua parturiunt, & maximè nigrarum, quia, vt Mesues ait, minùs excrementorum ab ijs gignitur, columbarum, atque pauonum, velut turdorum, merularum, turturum, ficedularumq́ue,dummodò quæ humidiores, ac pinguiores carnes sunt, assæ, quæ verò sicciores, ac duriores elixæ sumantur, vel earumdem tantùm ius conglaciatum, quod gelatinam dicimus, & assæ quidem magis ingerantur à fœminis, & ab ijs, qui natura sunt plus iusto humidiori, elixæ autem ab ijs, qui crasi, ac ætate simul calent, & squalent, vt plerique iuuenum.Condiantur verò iuscula herba oxalide,trifolio acetoso, citrijs, granatis, aceto, agresta, velut herbis odoratis superiùs annotatis,& carnes quæ assantur infarciendæ sunt caryophyllis aliquot,modicoue cinnamomo,& acidis succis inspergendæ, limonum, aurantiorum, granatorum, & omphacij. Auium palustrium carnes, vti anserum,anatum,& consimilium passim improbantur,sed nostro præsertim in casu, quoniam crassum, turbidumq́. sanguinem producunt, labefactato interim ventriculo; Quo-

Cur fermentatus & salitus commendatur.

Carnes quæ eligendæ aut vitandæ.

Mesuæi opinio de Gallinis nigris.

Quæ carnes assæ, & quæ elixæ, & à quibus magis hæ, vel illæ sint comedendæ.

Iuscula quibus condienda sint extra tempus hyemale.

Quomodo autem præparari debeant edulia pro nutritione animalium, quorum carnes vsurpandæ sunt, alibi ostensum est. Sunt qui illis addunt viperinum puluerem, &, vt puto, non imprudenter. Lacticinia apage, quia promptissimè corrumpuntur, præsertim verò etiam, si circà dentes, & gingiuas adhæreant sordes, quæ sunt illinc detersorijs subindè auferendæ semper, sed hoc maximè contagiosæ suspicionis tempore, ne spiritus fœtidi, impuri, ac turbulenti in cerebrum exhalēt, & ne in cor pariter à pulmonibus, dum celebratur respiratio, vnà cum aere alliciantur, & ne denique cum cibo permixtæ immundities in venticulum detrusæ, cibum ipsum corrumpant. Dicebat autem Galenus lactis esum nocere dentibus, & circumdatis carnibus, quas gingiuas nominant. Has enim humidas, dentes verò putrefactioni, & erosioni admodùm obnoxios reddit. Vbi propterea talem noxam præcauendi modum edocet; si nimirùm os colluatur vino diluto, ac tantillo melle iniecto, aut etiam, si caput imbecillum non sit, vino mero, aut demùm mellicrato primùm, mox vino astringente. Placet non modicè his temporibus, & in Aestate magis, vt os manè gargarizetur multa aqua frigida, cui aceti nonnihil admixtum sit, vt eleganter, sed vniuersè præcipit Celsus. Oua gallinarum recentia à Tua, & prima mensa, seu antè alia cibaria deuoranda, ne ableges, sed quæ parata sint sorbilia, & agrestæ succo, vel limonum, vel aurantiorum condita. Pisces nec Tibi, nec Filijs, & alijs prohibeo, licet à quibusdam magni nominis Medicis absolutè damnentur, quòd nimis humidi sint, & quæ talia gignendæ putredinis ansam suppeditent, quorum opinio mihi haudquaquam placet, dummodo pisces illi sint, aut similes, quos in Libello commemoro, seu maritimi, seu fluuiatiles, ijdemq́. parati, & conditi, prout ibi similiter notatum est; quandoquidem huiusmodi

Lacticinia damnātur, & in quibus potissimùm.

Dentium sordes cur, & quibusnam præcipuè detergendæ.

Gal. lib. 3. de Alim. facult. cap. 14.

Quomodo cum Celso lib. 1. cap. 2.

Oua quæ laudentur.

Pisces concedendi, sed non omnes, & quomodo libet parati.

di

di pisces, præcæteris saxatiles, vt friabiles sunt, ita pinguedine, ac humore superfluo non abundant, præterquamquòd nec copiosum sanguinem accumulant, nec eumdem acuunt, vel accendunt; quæ duo, nempè sanguinis copia, & calida qualitas, quàm promptè putredinem cõcipiant, notissimum omnibus est; vt sileam, quòd pisces, teste Aristotele, videntur esse immunes à periculo contagionis Pestis, de qua re alibi fusiùs. Qui longè à mari absunt, si recentibus truttis, lucijs, & cancris limpidorum fluminum careant, vti salubriter possunt ijsdem frixis in sartagine, vel assis in craticula aliquandiù conseruatis, pauco videlicet pipere, aut cinnamomo, folijs saluiæ, rosinarini, aceto, vel omphacio antè præparatis. Aestate qui recentes elixandi ex petroselino, sale pauco, & acetosæ, aurantiorumq. succo. Quoad fructus, & olera; ambo minimum nutriunt, quòd excrementosa sint, magisq. à Medicis conceduntur ad alterationem, quàm ad nutritionem, vt scilicet aliqua eorum ipsammet putredinem coerceant, siccando, vnàq. humorum feruorem demulcendo. Ideò fructus acidi sint saporis, non dulcis, nec qui humido aqueo exuberant; quæ enim talia sunt, velocissimè corrumpuntur, vermesq. vt extrà nos, ita etiam intrà facillimè gignunt. Vnde quidam mora improbant, matura scilicet à me alibi concessa, & dulciora cerasa, sicut vuas, & ficus, in quibus numerant cucurbitam, cucumeres, citrullum, atque melones, quòd singula iusto humidiora sint, corruptioni multum exposita, ac febrium malignarum generationi aptissima, vt ex Galeno colligitur. Probantur omnibus cerasa acidiuscula, visciolæ, maraschæ vulgò dictæ, sicut varia prunorum genera, & vuæ passæ eiusdem qualitatis, mala rosea, appia, persica duracina, sed probè matura, & vino generoso infusa, corni, & fragariæ etiam fructus, pyra quædam odorosa, seu cruda sint, seu cocta, aut

Arist. lib. 8. de Natura anim. cap. 17.

De fructibus, & oleribus.

Gal. cap. de Cucum.

quæ Genuæ potissimùm saccharo condiuntur, mespila, sorba, cydonia item, quæ Aglaocarpi titulo cohonestat Homerus, & nuces iuglandes, quæ recentes vino madefactæ mense Augusto comedi solent, velut alijs quoque temporibus ab esu maximè piscium, iuxtà Salernitanæ Scholæ præceptum, sed caueantur quæ iam rancorem contraxere, quippè eas veneno proximas esse putat Rhases. Auellanæ, amygdalæ, nuclei pinei, pistachia non prohibentur, vt nec coriandri semina, aut cum saccharo, aut sine saccharo, quæ priùs tamen diutina in aceto maceratione fuerint præparata; Ablegentur quæuis ferè legumina, non eo solùm nomine, quòd cacochyma sint, sed quia etiam præ nimia flatulentia humores conturbant agitatione quadam. Vnde olim in Aeno ex leguminum esu refert Hippocrates tam in fœminis, quàm in maribus ad genua & crura factos communiter fuisse morbos (fortasse paraplegias) quibus partium illarum impotentes fiebant, & deambulandi officio priuabantur. Sunt qui lentes commendant, quòd iuuent siccando, ac refrigerando, quòdq. earum decoctum vtilissimè detur laborantibus ex variolis, & morbillis, qui à pestilenti Lue haud longè recedunt, sed parcior sit & rarior earum vsus, quia cum Galeno succum crassum, prauumq. generant, vt frequens vsus Elephantiasim, & Cancrum excitet; Fercula ex milio, velut panis ex eiusdem farina (cuius idcircò, vt suprà dicebatur, portio triticeæ immixta placeret) non infimum tenent locum inter ea, quæ à contagiosa putredine præseruant, quemadmodum & lupini, quos pueri, & mulieres expetere valdè solent, sed qui anteà sint macerati, vt amarorem aliquantulum deponant. nam conferunt tam siccando, quàm vermibus, qui pestilentia appropinquante, ac vigente frequentissimi sunt, aduersando; quare & ex eorum farina, hordei cremore, ac succo, aut emulsione

Rhases lib. 8. ad Almans.

De Leguminibus.

Hipp. 2. Epid. sect. 4 & lib. 6. sect. 4.

Fercula quædam vtiliora.

amyg-

amygdalarum dulcium paratur ferculum non insuaue, & quàm saluberrimum. Herbæ salubres quouis anni tempore sunt borrago, buglossum, acetosa, omnes cichorij, & endiuiæ species, melissa, ac pimpinella. Aestate lactuca etiam & portulaca, quamuis de hac scribat Aretæus quòd succus eius à ventriculo minimè sustinetur, de cruda, & largiori manu sumpta fortasse intelligens; quæ ambo olera nos magis laudamus in iunioribus, ac natura biliosis. Hyeme in iusculis saluia, mentha, hyssopus, maiorana, petroselinum, betonica, ruta, fœniculum, pulegium, serpillum, & maximè ocymum atque melissa probantur, quippè omnia hæc cordi plurimum conferre creduntur. Allium moderatè sumptum iuuare contrà alios optimè sentit Manardus, nisi caput præcalidum sit. In acetarijs asparagi, lupiq. salictarij, quos lupulos appellamus, cappares, & oliuæ ab omnibus laudantur. In potu considerantur vinum, & aqua, è quibus apud nos potiones parari solent, & per vinum intelligo ex vuis confectum, non ex pomis, aut pyris acerbis, quod Normanis relinquendum censeo, licet haud inutile æstiuis esset temporibus ad refrigerandum & humectandum, omittaturq. similiter Zithum, Cereuisiaue, quam dictus Manardus summoperè damnat, imò Dioscorides scribit inducere Elephantiasim; Scio equidem non vnam & eamdem esse Zithi præparandi rationem; nam apud nonnullos fit ex aqua, in qua hordeum, frumentum, & interdum auena incoxerit, cui obstruendi vis non minima inest, quæ etiam tantò maior est, quantò Zithum crassius fuerit, quale est quod ex solo frumento conficitur, & de hoc puto intelligendum esse Dioscoridem. Hodie verò paratur Zithum, multum recipiens lupulum, qui ad defecandum sanguinem plurimùm valet, quod ideò non est adeò malum, nisi in acorem quendam degenerarit; sed cum vniuersè feriat potenter caput, vnde

Herbæ salubriores.

Aretæi sensus de succo portulacæ.

Iuscula in Hyeme quibus condienda.

Manar. 5. ep.

Acetaria.

De potu Vini, & Aquæ.

De Zitho, Cereuisiaue.

Dioscor. cur Cereuisiam damnat.

de grauior ex eo ebrietas, quàm ex vino, quippè quæ difficiliùs discutiatur, & qua oppressi potiùs in posticam partem decidunt, quàm in anticam, contrà ac eueniat ex vini potu ebrijs, propterea Flandris, Anglis, Piccardis cereale istud vinum pro ordinario potu relinquatur. Confirmatur mea hæc de vitando Zithi potu pestilenti, præsertim vigente suspicione, trium summorum virorum testimonio, Ioannis Fernelij, Iacobi Hollerij, & Iacobi Syluij in Consultatione inter ipsos habita Parisijs pro Legato Anglico in Patriam reuersuro, eo tempore quo per Insulam illam vagabatur Hydronosos, Anglicusue sudor, pestilens & contagiosus morbus, nomen à symptomate insigniori sudatione nactus, siue in humorum, siue in spirituum, siue in amborum putredine consisteret. Nam dum potum præscribunt, vinumq. potiùs potens laudant & meracum, quàm quod dilutum sit multa aqua; subiungunt; *quam in hoc affectu aut præcauendo, aut curando non probamus, quòd nimis humectet, vti neque vestram Cereuisiam, quæ succum gignit crassum, & melancholicum quoquomodo paretur*. Quidnam obsecro de vino viperino, theriacale vocant, hoc est, in quo extinguuntur viperæ, numquid scilicet sanis conueniat corporibus vt à Peste præseruentur? Nicolaus Florentinus secutus Rabb. Moysen & alios tradit vinum, in quo extinctæ sint viperæ, si frequenter potetur, multùm conducere ad præseruandum à qualibet materia venefica, prout Galenus docet: quò spectat illud quod legitur apud Porphyrium, seruum quędam Crateri Medici dum laboraret lepra immanissima, ita vt carnes ab ossibus abscederent, potato vino, in quo extincta erat vipera, statim conualuisse. Contrà quam doctrinam, si de sano accipiatur corpore, multa sunt quæ acriter pugnant, quæ sigillatim alibi à me data opera expenduntur, & pro viribus controuersa res deter-

In Conf. Fernel. conf. 67.

Hydronosos quid.

De vino viperino hic minimè vsurpando.

Nicol. Flor. lib. 1. de Ven.

Gal. lib. 6. in 6. Epid. t. 6. Porph. lib. 4. de Abstinen. ab animal.

minatur. Ad oppidum Tuum quod iuxtà Caprarolam situm est, vinum paratur nostræ intentioni conuenientissimum, nempè quod est pauciferum, album, rubellumq́., modicè austerum, & odoriferum. Fateor me aliquando scripsisse vinum valdè generosum, ac potens habitum pro antidoto Pestis, sed dum hæc grassatur, & sæuit cum maximo virium languore, aut ex aereo veneno præsente, aut ex vitiosis intùs collectis humoribus, ob prauum victum, ex herbarum frondibus, & radicibus, leguminibus, fructibus acerbis, & alijs eiusdem census, tempore caritatis annonę quomodocunque ingestis; idq́. non passim, & promiscuè in omnibus, sed in pluribus, propter alias etiam alibi adductas rationes, quasi non pro simplici potu, sed vt sit potus vnà & medicamen. Sunt è Medicis, inter quos est Mercurialis, qui in præseruatione proponunt & laudant vina acetosa, imò etiam aquam cum aceto, quæ posca vocatur, sed hæc ad villicos, & remiges, quorum stochus firmissimus est, ac talibus assuetus, non ad Principes, non ad Viros nobiles delicatioris naturæ, sedentariamq́. vt plurimum vitam degentes, & vina suauissima bibere solitos. Aestate sitientibus à pastu, sunt qui non denegant vinum qualitatis notatæ, copiosa tamen aqua gelida lymphatum, & castigatum, sed cum tale sit diureticum, verendum, ne cibum inconcoctum è ventriculo antè debitum tempus vnà secum trahat ad venosum genus; vnde in re nostra tutiùs, ni fallor, exhibebitur aqua frigida ex his, quæ artificiosè solent Romæ parari, præsertim addito vino granatorum, vel oxysacch. simpl. vel succo ribes, vel hydrorosato Græcè dicto, nos syrupum rosatum simplicem, & iuleppum Alexandrinum vocamus, vel denique cum modico succo limonum, & saccharo fino. De aquis, deq́. varijs earumdem speciebus, aut differentijs ad præsentem vsum, non est hic differendi locus, cum de his omnibus

Vinum Carbonianum optimum pro hac præseruatione.

Generosum vinum cur aliquãdo ab Auctor. in Pestilentijs probatum.

Mercurial. opinio de vini qualitatibus tempore pestilenti.

A pastu æstiuis mensibus quæ potiones ad vsum dedu cendæ.

nibus

nibus abundè actum sit in edita Prouidentia; tantummodò non silebo posse Excellentiam Tuam ad vsum totius Familiæ eligere vel aquas pluuiales in cisternis probè mūdis conseruatas, vel fontanas, quæ è fontibus ad Orientem vergentibus scaturiant, quod si non adsint nisi aut quæ in Septentriònem atque Occidentem manent, aut puteales, hæ leuiter pro potu coquantur, vel saltem immersa panis medulla corrigantur. Verissima siquidem est, & à Medicis omnibus confirmata, Cassiodori doctrina quam de aquis affert: *Dicunt enim aquas, quæ ad Orientem Austrumq. prorumpunt, dulces atque perspicuas esse, & pro sua leuitate saluberrimas inueniri: in Septentrionem verò atque Occidentem quæcunque manant, probari quidem nimis frigidas, sed crassitudine suæ grauitatis incommodas*. Inter assumenda referuntur quæ alimētis sunt opposita, nempè medicamenta ad expurgandos humores superuacuè redundantes, & ad omnem inaniendam cacochymiam idonea, quæ ideò in præseruatione à pestilentī contage locum habere videntur, quoniam corporibus puris, ac ritè curatis Pestis non accidit, vt monent Galenus, & Auicenna. Sed quia de hac re alibi vberiùs, satis hoc in loco esse iudico, si dixero talem deliberationem committendam esse Medicis domesticis, quibus tutò magis vtimur quàm extraneis, vbi tamen, addit Celsus, æqualis est scientia. Quòd si mihi instes; vt sensum meum clariùs aperiam, summoperè probarem, vt verno hoc tempore, & ad extremum Mensis huius, aut circiter Nonas alterius, nisi adsit, aut superueniat quod contrà indicet; Romæ siquidem Veri fidendum non esse, vel de ætate sua scribit Seneca, quia sæpè in Hyemem reuertitur; per hypellata, à Mesue benedicta nuncupata, medicamenta omnes & singuli expiaremini, quibus antiquiores carebant; quæque sanè minimè damnasset Celsus, nec antè Celsum

Quænā aquæ ad vsum totius Familiæ eligēdæ sint.

Cassiod. Var. lib. 3. c. 53.

Gal. & Auic. dictū loc. cit.

Celsus in Procem.

De vniuersali purgatione molienda, & per quænam pharmaca.

Senecæ dictū de Vere sub Romano cælo.

Idem Cels. lib. 1. c. vlt.

Hippocr. vel Auct. lib. 2. de Nat. hum.

Auctor operis de Nat. hum. si vtrique cognita fuissent, & experta, per quæ nimirùm corporis totius sarcina minuitur, absque virium iactura, spirituumue dissolutione, & fomes morborum impendentium quorumcunq; subtrahitur priùs quàm illud adoriantur & in vitæ discrimen adducāt. Ad id præstandum valent mirum in modum manna, quæ, gummosa cum sit, veneno resistere creditur, agaricum, rhabarbarum, sena, polypodium, tamarindi, cremor tartari, syrupus violaceus, syrupus de floribus persicorum, syrupus rosaceus, & mel rosaceum ex pluribus rosarum infusionibus; tacui cassiam nigram, vti quæ eamdem recipiunt electaria, quoniam, vt etiam notat Alexander Massaria, cum humida admodùm sit, & moderatè calida facilè vitiatur, & alia corrumpit, & si quæ illi vis proba inest, dum coquitur, eam amittit; non propterea tamen omitterem electarium dictum diacatholicon, addito præsertim, dum assumendum est, puluere scordij; imò nec ipsammet cassiam recenter purgatam, si addatur rhabarbarum cum cinnamomo; Ita namq. paratā obtulere Anglico Legato, vt ab Anglico sudore pestilentissimo præseruaretur, Ioannes Fernelius, Iacobus Hollerius, & Iacobus Syluius in Consultatione superiùs adducta. Maximè autem hoc tempore probo trypheram persicam, quidquid contrà censeat idem Massaria, pilulas elephanginas, mastichinas, de aloe lota. Quòd si adhùc valentiores desiderentur, nolo silentio inuoluere compositionem mearum Oliuarum, quam alibi descripsi, sed quæ nunc exactior traditur, quæque valet mirificè ad varios humores, & ichores feliciter educendos, non absque alexipharmaca virtute. Rec. pul. mecoachan, scialappæ an. drac. ij. s. agar. troch. rhabar. elec. an. drac. ij. aloes hepat. in aqua ros. quinquies lotæ vnc. s. epithymi drac. ij. mastich. scrup. iiij. diagr. gr. xxv. myrrhæ drac. j. s. camphoræ, croci, cinnamomi an. drac. s.

Cassia nigra cur suspecta. Mass. lib. 2. de Peste.

Fern. Holl. & Sylu. in citat. Consult.

Compositio Auct. sub nomine Oliuarum, quæ & purgatoriæ sunt, & alexiteriæ.

Cum vino aromatite, ſucco rutæ depurato, ac ſyrupo roſaceo ſol. formetur Magdaleon. Cuius ſumantur ſcr. ij. & cum aqua vel card. bened. vel ſcabioſæ, vel ſcorzonaræ formentur oliuæ ij. & inaurentur. Meis autem, alijsq. antefero peſtilentiales rectiùs peſtifugas appellatas, quæ Ruffo adſcribuntur, cuius tamen Auctoris compoſitio nec forma, nec ingredientibus dictis cum catapotijs illis vndiquaque conuenit, vt ob id forſitan meliùs à ruffo colore, quàm à Ruffo auctore denominationem pilulas fuiſſe ſortitas aſſerere quiſpiam cum ratione poſſit. Quam rem alibi examino, & omnem prorsùs, vt equidem reor, dubitationem tollo. Intereà temporis pilulæ peſtifugæ ad Ruffi imitationem hunc in modum conficiantur. Recipe aloes zocotorinæ lotæ in ſucco roſarum drac. vj. myrrhæ drac. ij. croci ſcr. j. ammoniaci drac. ij. camphoræ ſcr. j. Parentur cum vino aromatico. Quæritur qua doſi ſint præſcribendæ. Auctor exhibebat fabæ Aegyptiæ pondere, quod eſt ſemioboli, ſeu granorum iiij. Exigua nimis quantitas eſt, ſi vacuare intentio ſit. Vnde puto talem doſim, cuius etiam in Theriacæ exhibitione Galenus meminit, alterationis tantùm nomine præſcriptam fuiſſe, vt ſi ad purgandum etiam medicamētum offerendum ſit, duorum ad minùs ſcrupulorum doſim eſſe oportere iudicem. Aeſtuante Canicula ab illis abſtinerem, & alijs temporibus calidis aqua oxalidis ſuperbibenda. De huiuſcemodi autem miti, blandaq. purgatione non intelligebat Hippocrates cùm ſcripſit: *Sana corpora difficulter ferunt medicationes.* Ideò neque obediendum à nobis hoc in loco eſt Cornelio Celſo dicenti: *Cauendum ne in ſecunda valetudine aduerſæ præſidia conſumantur.* Propterea etiam laudo, vt tempore inter medio, niſi aluus ſponte fluat, clyſteres communes vocati injciantur, aut confecta vulgò dicta ſolutiua, aut balani denique vulgatæ formulæ indantur.

Pilulæ peſtifugæ Ruffo attributæ.

Deſcriptio Pilularum peſtifugarum.

Doſis Pilularum Ruffi cur non ſemper eadem in eodē ſubiecto.

Hipp. Aphoriſmus non obſtat, vt nec Celſi locus.

Antidota quę & occulta & manifesta virtute in nos agunt.

tur. Alia sunt præsidia quæ antipathia quadam, non modò virtute nobis manifesta, Pesti, pestilentibusq. morbis omnibus reluctantur, tam intùs assumpta, quàm exteriùs admota, quorum nonnulla occulta prorsùs facultate, ac velut per species, vti gemmæ, quædam verò etsi non adeò patente, attamen nec ità inuia, abditaq. energia iuuare consueuerunt, quòd ab ijs aliquid sub vaporis, aut halitus nomine decedit, quod in viscerum subsidium sese insinuat, de quorum censu est radix Angelicæ odoriferæ, Zedoariæ, & Iunci vocati odorati, aliaq. multa, de quibus in Prouidentia. Ad quæ spectat exemplum de Pœonia, cuius virtus, duce vapore, in cerebrum conscendens puerum sanabat epilepticum, & non ad gemmas, à quibus nihil exit, vel expirat, quæ extrinsecùs gestatæ, (nam intrinsecùs sumptæ, polline ex illis facto, frigiditate ac siccitate putredinem etiam magnam inhibēdo conferunt) forsitan secretò ac energiticè tantùm iuuant, mentem exhilarando, spiritusq. recreādo, quòd nihil magis gaudio, & lætitia in hoc mali genere prosit. Passim Romæ & alibi pro antidoto vsurpari solet Theriaca, velut etiam Mithridatium, proboq. tam hoc, quàm illam, dummodò ratio habeatur ætatis vtriusque, sicut eius, qui assumpturus est, ac temperamēti anni temporis, & similium. Tuæ Excellentiæ, Vxoriq. Excellentissimæ proderunt, quemadmodum & Filijs, nisi florens ætas, biliosumq. tēperamentum obstent, quippè sunt subrufli coloris, & gracilioris habitus; Galen. enim damnabat Theriacam in corporibus calidis & siccis, eo quòd in his facilè febres accēdat. Nepotibus autem vtraque antidotus vel penitùs interdicenda, ob corporis mollitiem, præ qua omnes ferè in tenella ætate cōstituti à calidioribus magnæq. actiuitatis medicaminibus promptissimè digeruntur ac dissipantur, vel in pauca admodùm dosi illis sunt ambæ offerendæ, vnius tātùm dico scrupuli.

Pœonia quomodo puerū sanabat epilepticum

De Theriaca, & Mithridatio, amborumq. recta administratione.

Gal. de Ther. ad Pis. atque 8. Meth.

Scri-

Scribit enim idem Galenus pueros ob viriū infirmitatem minimè ſuſtinere magnitudinem actionis Theriacæ. Nam adultis iam, atque grandæuis dracma vna exhiberi poteſt, ſed & hoc in loco diligenter attendenda eſt à Medico præſente Galeni doctrina, & ſententia. Quæ antidoti per annos antè quatuor & nihilò minùs diligentiſſimè ſint paratæ, à quo tempore vſque ad annum duodecimum pro re noſtra efficaciſſimæ iudicantur. Illæ verò tanquam recentiores Filijs, & Nepotibus, vtpotè calidioribus, atque in maiori æſtu concedendæ; alteræ autem vetuſtiores Tibi imprimis, & Vxori competent, ſicut omnibus frigidioribus naturis, atque tēporibus; Quinimò, Sirio inualeſcente calore, intrinſecùs ab ijs omninò abſtineatis, vel non ſumātur niſi caſtigatæ cum frigidis conſeruis, aut niſi præaſſumptis frigidæ aquæ, aut iuſcula tenuiſſima cichoraceis alterata ſuperbibantur. Nullo autem pacto vſurpetur Theriaca, quæ nondum fermentationem ſubierit, vel quæ ſit recentiſſima, qualis eſt infrà ſex menſes; nam talis Theriaca noſtro in caſu nullis conuenit ſanis corporibus, quippè in huiuſmodi multa ſunt medicamenta venefica, quæ cum nondum per fermentationem ſint caſtigata, certæ inde offenſæ periculum impendet, ab opio præſertim, quod antè fermentationis tempus magna ſolet detrimenta afferre. Contrà ſi ſit fermentata, & iam ſignificatæ ætatis, conuenit prorsùs & ſanis ſimpliciter, & ſanis ſecundùm quid; prioribus, vt conſeruentur in ea, qua fruuntur, ſanitate: ſcribit enim Auicenna, quòd robur cordi & ſpiritibus afflat, quo ſanitas cuſtoditur; poſterioribus, vt præſeruentur à grauioribus malis, quæ imminent, eo quòd donata ſit proprietate quadam veluti diuina, quam corporibus quoque humanis largitur, qua mediante cuilibet magno morbo, grauiq. iniuriæ promptè ac fęliciter occurrere poſſunt. Probatur tamen magis Theriaca deſcriptio-

Idem loco citato.

Idem ibid.

Theriaca non fermentata cur damnatur.

Prærogatiuæ Theriacæ vetuſtioris ex Auic.

ptio-

ptionis Andromachi serena, vel tranquilla ab effectu nuncupata, quæ nimirùm velut ex quadam morborum tempestate serenitatem, vel integram valetudinem nobis conciliat, & hæc Græcè γαλώ dicitur, *serena*, inquam, vel *tranquilla*, vt admonet Galenus, cui perperàm à quibusdam vocabuli similitudine, ac totali Græcæ locutionis imperitia hallucinatis attribuitur. Sumuntur huiusmodi medicamenta quinque aut sex horis antè cibum, sed & hoc determinandum est pro varia dosi, qua capiuntur, & pro varia quoque accipientis ventriculi valida, aut inualida natura. Cautio insuper hoc in loco est, vt hæ magnæ antidoti, sicut & alia alexiteria, neque ab Excellentia Tua, neque ab alijs sumantur, nisi ventriculo vndiquaque inani & vacuo ab antè ingestis alimonijs, earum penitùs peracta concoctione. Sic enim docet Rabbi Moyses loquens de smaragdo, & scribens eum sanis corporibus exhibendum quo tempore ventriculus vacuus est, & iam consummata est omnis concoctio. Iuxtà quem sensum Galenus etiam præcipit; vt Theriaca sumatur posteàquàm ex toto celebrata est ciborum coctio; quorum summorum virorum auctoritati hæc addi potest ratio, quoniam si talia sumerentur remedia, dum cibus adhùc ventriculum occupat, profectò vel is corrumperetur, vel ipsorum virtus ab eo præsente hebetaretur. Quæ antidora similiter naribus identidem admota, & olfactu inspirata, iuuant; velut si iisdem cordis, ventriculi, & vtriusque carpi regio inungatur, adiectis succo rutæ, & aceto rosato. Inter hæc alexipharmaca libèter colloco Athanasiam, quæ maximè prodesse putatur, vnde & nomen ei à virtute, qua pollet, impositum, nempè quia homines reddit immortales. Quòd si præter hæc à me quæras, an alia temperatiora ars suppeditet, quibus æstiuo tempore, & calidioribus constitutionibus vti securiùs valeas, respondeo, non deesse nobis alia

Margin notes: Theriaca γαλώ quæ dicatur. — Binç Cautiones. Prima. — Secunda. — Rabbi Moys. Aphor. 22. — Gal. de Ther. ad Pis. c. 17. — Athanasiæ cômendatio.

alia auxilia tam alexipharmaca, quàm merè cardiaca magis adhùc temperata, quæ putredinem etiam magnam longè arcent, ſpirituumq́. diſſolutionem prohibent, & humorum incendium ſedant, inter quæ libentiſſimè recenſuerim tria quæ ſequuntur electaria; de Gemmis, inquiam, de Tribus generibus ſantalorum, ſed, nunc pręcipuè, Hyacinthinum, quod egregiè temperatum eſſe fertur, & cùm latentibus, tum manifeſtis viribus Peſti, ac peſtilentibus, maliq́. moris febribus mirificè aduerſatur. Conſeruæ ad manum promptæ ſint ex folijs ſcordij, & acetoſæ inſimul commixtæ; ſicut quod ſequitur conditum. Accipiantur quatuor poma citria, eaq́. ſcindantur in partes, & coquantur cum aqua roſarum, donec in pultem colliqueſcant; poſteà contundantur, ac traijciantur per cribrum, & addantur Theriacæ ſcr.iv. margarit. dr.j. cornu cerui, & lapidis bezoar an. ſcr.j. miſce. Cuius mane & veſperi per duas vel tres horas antè cibum drachmã vnam accipito. Circà admouenda, quibus connumerantur veſtes, & varia indumentorum genera, cùm eorumdem modus, quantitas, & qualitas certa ratione determinari nequeant, cùmque pariter de his abundè locutus ſim in Prouidentia, proptereà ſummatim tantùm dicam, veſtes debere eſſe ſericas, & preſſiùs textas, quia ſunt pilorum expertes, velut etiam vndulatas, omnesq́. glabras, vt & coria. Nam his tenaciùs malum non hæret. Induſia, & ſubuculæ identidem mutentur, & circiter veſtimenta omnia ponantur roſæ, violæ, ſantala, cum camphora; quòd ſi Hyems ſit, odorata iride aſpergantur, & violaceo puluere, vel cyprio, ſuauiq́. ſuffitu aromatum perfundãtur ex myrrha, ladano, ſtyrace. Nullum hìc certè verbum de balneis, epithematis, ac ſimilibus, quæ ſingula eodem in loco à me examinantur. Tantummodò ſub ſilentio non videntur tranſeunda neſcio quæ vnguenta apud nonnullos pro excelſis habita reme-

De alijs Antidotis, Electarijs, & Conferuis.

De Veſtibus, ac Indumentis.

Vnguenta quinque excellentioris virtutis.

remedijs, primum, vt auribus immittatur & naribus vnguentum rosarum cum momentulo quintæ vocatæ essentiæ vel rosmarini, vel caryophyllorum, vel saluiæ. Secundum, vt accipiatur adeps serpentum, & addatur Theriaca, parumq. vitrioli cum succo citri, quo regio cordis & arteriarum illiniatur. Tertium, æstate flagrante, paretur ex vnguento rosato, sandalis omnibus, & camphora; quod item, vigente frigore, vsurpari poterit, si olei caryophyllorum, & cinnamomi grana tria addita fuerint. Quartum sit quod recipit succi scordij vnc. j. camphoræ, & croci an. scr. j. ceræ q. s. f. linimentum, quo cordis locus vngatur. Quintum & vltimum, me iudice, efficacissimum instar omnium, est oleum Matthæoli dictum, quo frequenter, ter scilicet, vel quater in hebdomada, tempora, nares, cordis situm, & amborum carporum arterias inungito, de quo mira in praxi obseruata narrat Franciscus Alphanus olim Doctor Salernitanæ Sch. In educẽdis, prout ad rem hanc pertinent, est vacuatio variorum excrementorum, & eorum præcipuè quæ educuntur per pharmaca varia, per clysmos, balanos, & catapotia, de quibus suprà, & alibi; Est præterea consideratio de aliqua sanguinis missione, velut de cauterijs Nepotum, quæ ad inion fuere olim iusta de causa affixa, vt cerebri nescio quibus symptomatis ab humidiori materia ibidem congesta oriundis auxilio forent, vtrum scilicet vlcus illud claudi, & consolidari, an adhùc apertũ aliquandiù in ijs conseruari debeat. Ad primum quod attinet, Medici præsentis, & familiaris, qui doctus est, & expertus, iudicium requiratur; ego tamen, iuxtà superiùs, alibiq. iacta fundamenta, censeo, occasione purgationis ad præseruandum instituendæ, necessariam, non modò vtilem futuram moderatam sanguinis ipsius vacuationem, aut per phlebotomiam, aut per cucurbitulas scarificatas vt in grandæuis, aut per hirudines venis tum podicis,

Franc. Alph. de Pest. & febr. mal. c. 12.

Consideratio de sanguinis eductione.

dicis,tum brachij vtriusque apponi solitas. Ad secundum dicatur, si ad præseruandum à tam magna Lue tantoperè valent vlcera, vel spontè nata, vel arte excitata, quòd nimirùm sint & illius, & aliorum quoque morborum medela,vt colligitur ex Hippocrate,& ex Prouidentia Methodica edita,in qua ego multorum magni nominis Medicorum testimonijs id ministerij cõprobaui,cur iam adaperta emissaria,quæ sunt quasi vlcera,monstrante natura,à Medicis manufacta,hodie cõsolidari,& adstringi debent?Differatur itaq. operatio hæc in tempus aliud magis conueniens, minùsq. suspectum,quo pariter Nepotum corpora crescendo ficciora erunt. In faciendis vnum occurrit,vniuersè alibi à me diffusè examinatum,nunc rursùs breuissimè repetendum,& est,vt vites,longèq.ableges animi passiones,quæ corpoream nostrã molem non aliter mouent, turbantque, ac venti mare. Inter quas nocentior hoc in casu est mœror, atque timiditas, quæ simul iunctæ hegemonicam arcem obsident, & oppugnant; Vnde, *qui sine timore est*,inquit Seneca,*sine tristitia est*.Appropinquante, & tantò magis præsente hoc mali genere, perquàm magna sanè est opus animi fortitudine, & nõ vulgari prudentia ad tantum metum è mente fugandum, ab euidentissima tamen causa ortum, & diuersum propterea à melancholicorum timore.Sed nihilominùs audiamus Lucretium, & in hoc eius non contemnamus consilium, quod ita se habet;

Cautio circà Cauteria alias into affixa.

Hipp. in lib. de Hum.

Inter Animi Pathemata quænam magis vitanda.

Senec.lib.11. Epist.86.

Lucret. lib.3. de Nat.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum, nihilò quæ sunt metuenda magis quàm,
Quæ pueri in tenebris pauitant, fugiuntq. futura.
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasq. necesse est
Non radij Solis, neque lucida tela diei,
Discutiant, sed naturæ species, ratioque.

Eiusdem impietas.

Qui non multò ante de metu quædam alia vera profert, sed ethnicè nimis, & impiè more suo:

Et metus ille forâs præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffundens mortis nigrore; neque vllam
Esse voluptatem liquidam, puramq. relinquit.

Nam metus Acheruntis, seu formido pœnarum apud inferos, si impiè quis vixerit in hoc sæculo, à Christianorum animis ableganda non est, quæ homines coercet à peccatis, propter quæ non sacri tantùm sed & prophani scriptores asseuerant, Deum nobis cùm morbos alios, tum pestiferum imprimis immittere solere, & (quod magis expauescere debemus) æternis eumdem supplicijs Animas ipsas condemnare. Rectissimè ergò dicebat Hieronymus de Manfredonia. *Neque de morte timēdum, nisi in ordine ad Animæ salutem.* De Medicorum autem præcepto fugienda, quantum possibile est, de temporis pestilentis misero & infelici statu cogitatio tristis, cum Pestis ipsa Crocodilo assimiletur, qui persequitur fugientes, & fugit persequentes: quam cogitationem viris nonnumquam, fœminis autem (præsertim si vtero gerant) quàm sæpissimè contrahendæ Luis ansam præbuisse experimento recenti, & certa antiquorum scriptorum fide amplissimè constat. Per metum siquidem, dum cor angitur, à seminarijs Pestis inficitur facillimè, maximè si cum eo iuncta sit mœsta, & profunda imaginatio pestiferi morbi iam iam affuturi. Quò spectant, ni fallor, illa Procopij verba. *Repentè læsa imaginandi facultate sibi videbantur ab aliquo cædi, & verberari, statimq. eos morbus inuadebat.* Cuius calamitosi euentus rationem si quæras, non aliam cum Palmario probabiliorē afferri posse crediderim, quàm quòd vehemens, & intenta nimis animi cogitatio atque imaginatio crebra, dum cor mirificè afficit, id ipsum sæpè impri-

Hieron. de Manfred. de Hom. lib. I. cap. vlt.

Pestis cur assimilata Crocodilo.

Proco. lib. 2. de Bello Persico.

Palmarij responsum.

primat, ac inurat, quod tantoperè metuitur. De mulieribus autem, vtero potissimùm gerentibus, geminata ferri posse responsio videtur. Prima, quòd ex timore solo in intimis omnia conturbante abortum incurrant, in quo tanquam symptomate grauissimo multùm periclitari solitæ sunt, & non rarò moriuntur, tametsi nulla adest vagantis contagis suspicio. Secunda, quòd cum menses retenti per id temporis sint, ob fœtus nutricatum, vigente constitutione pestilenti, sanguis ille promptiùs, quàm in alijs fœminis beneualentibus, nec grauidis, alterationem, & prauitatem ineat, atque concipiat, accedente præsertim maiori respirandi necessitate, fœtus causa. Quare hìc obiter pro grauidis, & pro tutela fœtus annotare libet nonnulla, ex quibus præsens Medicus electarium conficere poterit. Capiantur ergò citrium malum coctum ex aqua rosata, portio cytoniorum conditorum, conseruaq. boraginis, quibus adijciantur margaritæ, semina citriorum, & acetosæ, velut coriandri præparati, cornu ceruinum, zedoaria, bolus, corallus, tormentilla, & aliquid ex vnicornu. Sumitur nucis magnitudine, ac superbibitur parum aquæ fragorum, aut rosarum; Et nos ad intermissam rem denuò accedamus. Graues itaq. qualescunque curas deponito, penitùsq. vita, cum mediocri viuens hilaritate, & eximia animi securitate, eumdem sæpè recreando iocis, musica harmonia, qua Pestilentias interdum depulsas vel Homerus ipse testatur, ludis liberalibus, nec non leui, & omnino grata lectione, sicut denique moderato iucundorum exercitiorum vsu. Quæ exercitia sub dio nullò pacto debent omitti præseruationis tempore, & quando aer infectus nondum est, propter vtilitates quas afferunt alibi expositas. At si præsens est pestilens constitutio, & aer iam contaminatus, nulli dubium, quin conueniens magis sit quies, quàm motus, maximè si, prout tūc decet, parcè ad-

Mulieres grauidæ cur alijs magis in pestilenti constitutione periclitantur.

Electarium ad præseruandas grauidas cum fœtu.

Homer. apud Plut. in lib. de Mus.

Quando motus, aut quies conueniat.

mo-

modum cibus,& potus ſumantur. Debemus enim ſub tali conſtitutione vitare quæcunque cor in calorem abripere poſſunt: quippè dum per labores,& exercitationes reſpirandi augetur neceſſitas,faciliùs aer permeat in cor,quod tunc auidius in ſe rapit. Verùm & in Peſtilentia contagioſa per tactum, ac fomitem moderatum oportet eſſe corporis exercitium,ne cutis meatus, & arteriæ cutim ipſam perreptantes fiant ex calore motu concitato propatulæ magis,& magis expoſitæ veneficæ labi ſuſcipiendæ, Cum quibus finem Conſilio imponere decreui, ſi priùs tamen Coronidis loco addidero, impoſſibile eſſe cladem hanc propiùs non ſentiri, aut ſaltem à præſenti ſuſpicione animo planè libero,& ſecuro alicubi viuere, niſi intereà maxima quoque habeatur ratio pauperum & ſubditorum, curando ſcilicet, ne ob caritatem annonæ prauis edulijs, imò herbis,plantarum radicibus,fructibus quibuſcunque obuijs, ſegetibus corruptis, & peſſimis leguminibus corpus, & famem ventris ſatullent, quoniam his peſtifera in venis illuuies paulatim, ac ſenſim congeſta, extemplò, & aceruatim proximis æſtiuis caloribus in lucem ſe prodet, cum generaliori iactura, latiùs in iam diſpoſitos propagata pernicie.Huiuſmodi enim cibi qualitas horrorem facit, valetudinem corporum corrumpit, grauiorq. hominibus eſt talis alimonia, quàm pœna ieiunij. O quàm calamitosè, & quàm frequenter olim ab vnica iſta cauſa, velut è parua ſcintilla, tota ferè Romani Imperij moles flagrare, & corruere viſa eſt? Ità Cæſaris milites cum præ inedia, ignotas radices, & herbas ederent, in peſtilentes morbos inciderunt apud Lucanum;

Exodiũ, quo concluditur quàm neceſſe ſit à populis Annonæ caritatem longè arcere, vt à Peſte præcaueantur.

Lucani carmina de Peſte orta in Cæſaris exercitu.

——————— *cernit miſerabile vulgus*
In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos
Et folijs ſpoliare nemus, lethumq. minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas.

Quip-

Quippè vt aer quomodolibet vitiatus inferiora aliquando corpora morbida fluxione conspurcat, spiritibus, & humoribus tum alteratis, tum infectis, & per eosdem impertita cordi læsione, diuulgatissimæ Luis, ac velocissimæ mortis occasio esse consueuit, ita, versa vice, corpora, quę ob prauam victus rationē in malignos, ac deleterios morbos vel sporacidè tantùm debacchantes incurrunt; tandem hinc inde ex illis tetri halitus indicibili qualitate suffusi sursum expirantes, eiusdem aeris (par pari referendo) vel crasim adeò alterant, vel substantiam coinquinant, vel demùm etiam sola vaporum immixtione citrà vllam, aut secundùm qualitates immutationem, aut secundùm propriæ substantiæ corruptelam (vt de vino optimo effertur, quod ex iniecto veneno mortiferum euadit) ita eum mutant, vt infausta vice communissimæ ac truculētissimæ Pestilentiæ focus, & seminarium euadat. Qua de re exempla multa in antiquis & in ætatis nostræ scriptoribus annotata passim leguntur, quibus etiam fidem haud infimam adstruunt pestiferi morbi Italiæ nostræ, iam suprà significatas Prouincias deuastantes. Quæ tamen hùc afferre supersedeo, ne *Mantissa vincat obsonium, & exodium exordium*: cum Hesiodo tantummodò concludens λιμὸς ὁμοῦ, καὶ λοιμός; *fames simul & Pestis*, aut cum Græcorum Parœmia λοιμὸς μετὰ λιμόν: *Pestis post famem*; Quò tendunt illa Titi Liuij verba: *Duo simul ingentia mala exorta, fames, pestilentiaque, fœda homini, fœda pecori.*

Aer contaminatus, & corpus putridis refertum succis, ac pestilenti febre correptum quomodo sibi mutuò labem communicent.

Hesiodi dictum.

Græcorum Parœmia.

Liuius lib. 3. de Peste anni 299. ab Vrbe condita.

Reliqua tum ex aliorum Medicorum Cōsilijs meo longè facundioribus, politioribusq́. & in quibus antidota quoque selectissima è longo, & frequenti Medicinæ factitandæ vsu ijs suppeditata, quinimò proprio Marte adinuenta, sed meæ rancidiori Mineruæ etiam nunc noua & incognita aderunt, tum ex Prouidentia Methodica iampridem diuulgata (vbi quæ dicuntur, ac disputantur, non ite-

iterùm hoc in loco decantantur) promptè colligere poterit Excellentia Tua, cui interim ego à Deo Trino Vno inculpatam valetudinem, ac vitæ longitudinem precor. Tu verò etiam, quantum potes, cura vt valeas, & quicquid humana ope maius est, Deo permitte curandum; Cui placeat, vt annotatis remedijs præserueris, vtq́. meus hic labor, qualis, quantulusue est, cùm Tuæ, tum publicæ saluti commodet.

Lectori æquè docto, ac candido.

Solonis, & Symmachi sententiæ duæ.

Quoniam Solonis verissimum est verbum:

Ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν.

Omnibus, in magnis, difficile est placeas;

ideò cum Symmacho sic:

Fructus laboris est, placere melioribus.



Ità censeo ego Vincentius Alsarius Crucius,
In Vrbe Ciuis & Clinicus,
In Academia Medicinæ Practicæ Professor,
In Aula olim Greg. XV. Medicus intimus, nunc autem Cubicularius ab Honore S. D. N.
Vrbani Papæ VIII.

LAVS DEO.